



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

Liber CLXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ
LIBER CLXXV.

GREGORIUS XIII. PONTIFEX MAXIMUS.
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Altercationes redintegratæ circa Pii V.
Bullam contra Bajum.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

Op. Baji
t. 2. p. 205.

Cum Baji fautores subdole obtentus quærerent, ut Pii V. diploma per viam minus legitimam extortum fuisse, vulgo persuaderent, hinc Doctores Religionis studio magis animati ejusmodi suspicionem tanquam injuriam sancto huic Pontifici illatam abominabantur, quapropter suarum partium esse censebant, ut Hispaniæ Regem exorarent, quatenus ipse Gregorium XIII. Papam ad decidendam hanc controversiam, necnon ad confirmandam Prædecessoris sui Bullam sollicitaret. Id quoque eorum desideriis datum; quippe Philippus II., necnon quidam Lovanientes Doctores datis Romam literis

teris Pontificem urgebant, ut aliud Sæcul. XVI.
A. C. 1579.
diploma, quo prius confirmaretur, ederet: porro horum preces Pater Franciscus Toletus Jesuita, qui tum Romæ agebat, sua etiam auctoritate, & opera promovit: Bajus vero rerum, quæ gererentur, haud ignarus suarum opinionum apologiam jam olim Pio V. transmissam, nunc vero auctam, ac recognitam ad summum Pontificem direxit: nihilominus Gregorius XIII. diploma petatum edidit die vigesima octava Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono his verbis conceptum.

§. II.
Gregorii XIII. Bulla pro confirmando Pii V. diplomate contra Bajum.

»Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut ea, quæ a Prædecessoribus nostris emanarunt, suadente maxime fidei Catholice conservatione, ubicunque ipsis opus est, producantur, quare nos tenorem Litterarum felicis recordationis Pii Papæ V. Prædecessoris nostri in ejus Registro repertum describi, & presentibus annotari fecimus, qui talis est.

li 2 Pius

*Bajanus
pag. 151.
& 205.*

Sæcul. XVI. „Pius Episcopus, Servus servorum Dei,
A. C. 1579 „ad futuram rei memoriam. Ex om-
Lib. CLXX. „nibus afflictionibus &c. ut supra eam
§. 33. t. 48i „retulimus. Ceterum volumus, ut
 „earundem literarum tenori sic inserto
 „illa re ipsa omnino fides adhibeatur,
 „ubicunque, & quodocunque sive in
 „iudicio, sive alibi ille fuerit exhibitus,
 „vel ostensus, sicut illius originalibus
 „literis prædictis adhiheretur, si ipsæ
 „exhiberentur, vel ostenderentur: nulli
 „ergo omnino hominum liceat hanc pa-
 „ginam nostræ voluntatis infringere,
 „vel ei ausu temerario contraire: si quis
 „autem hoc attentare præsumpserit, in-
 „dignationem omnipotentis Dei, ac
 „Beatorum Petri, & Pauli Apostolo-
 „rum eius se noverit incursum. Da-
 „tum Romæ apud sanctum Petrum,
 „anno Incarnationis Dominicæ millesi-
 „mo quingentesimo septuagesimo nono
 „quarto Calendis Februarii: Pontifica-
 „tus nostri anno octavo.

Hoc diploma celebri Jesuitæ Fran-
 cisco Toletto, qui summo Pontifici a
 concionibus, & postea Cardinalis erat,
 transmittebatur, ut illud Lovanium
 deferret, atque ab omnibus Universi-
 tatis membris acceptari curaret: hujus
 autem Bullæ fata postmodum recen-
 sebimus.

§. III.

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.1*Varia pia opera a Gregorio XIII.
Pontifice instituta.*

Hoc item anno Gregorius XIII. pro Bullar. t. 2.
juvenibus natione Anglis, qui ob Const. Greg.
Catholicam Religionem suos parentes, XIII. 53.
patriam, & bona sua derelinquere co- Et 72.
acti sunt, Romæ quoddam Collegium Ciacon. t. 4.
erexit, præcepitque, ut ibidem pag. 4.
Philosophicis, & Theologicis disciplinis im-
buti, græcum, & hebraicum idioma
addiscerent, necnon quoad cantum Ec-
clesiasticum, ritusque Ecclesiæ institue-
rentur, ut in patriam suam reduces
postea alios instruere possent: insuper
idem Pontifex plura alia pietatis opera,
ac foundationes Religioni oppido pro-
ficuas fecit, simulque Bononiensem
urbem ad Archiepiscopalem Sedem e-
vehens eidem septem Episcopatus suf-
fraganeos subjecit, plurimisque cumu-
lavit beneficiis: præterea in diversis
locis viginti omnino Collegia, & Se-
minaria erexit, inter quæ præcipue e-
rat illud Romanum Jesuitarum curæ
traditum, atque ad erudiendos hujus
Urbis adolescentes destinatum, necnon
aliud pro Germanis in literis imbuen-
dis, ac denique tertium pro Judæis
Neophytis, quartum pro Græcis, &
quintum pro Maronitis, pluraque alia

Sæcul XVI.
A C. 1579

Laureti pro Sclavonibus, Viennæ in Austria, Pragæ in Bohemia, Olmutii in Moravia, Mussiponti in Lotharingia, Vilmæ in Lituania, Clausemburgi, seu Colosvariæ in Transylvania, atque aliud etiam in Japonia ædificari curavit: cum vero ad tam immentos sumptus Cameræ Apostolicæ reditus nequaquam sufficerent, hinc Papa Imperatorem, Reges, Principes, cunctosque fideles ad conferenda subsidia hortabatur: ipse vero, cum plurimarum arcium, urbiumque, quæ antea Ecclesiæ imperio obnoxia, dein vero a pluribus Principibus usurpatæ fuerant, possessionem recuperasset, ad hæc pia opera reditus suos ad plusquam centies mille aureos augebat.

§. IV.

Hiberni Catholici præsidio Pontificis erecti.

Spond. hoc
ann. n. 12.
Thu. l. 68.

Sub idem tempus Hiberniæ Catholici ad summi Pontificis patrocinium confugiebant, ansam præbente Jacobo Fitzmorio, qui relicto Elisabethæ Angliæ Reginæ obsequio Franciæ Regi, ac Guisii promiserat, quod Angliæ, & Hiberniæ regnum eis subicere vellet, si ad illius expugnationem validas copias submittere non cunctarentur: ast hoc consilium cum rationi minus con-

congruum videretur, omnino rejectum
 est: unde hic seditiosus Vir ambitiosus
 hisce consiliis tumidus Romam con-
 tendit, ubi magis pronas experieba-
 tur aures, quippe Nicolaus Sanderus
 Sacerdos natione Anglus, & Alanus
 Presbyter Hybernus Jacobum ad Pa-
 pam introducebant, qua occasione ja-
 cobus amplæ spei lenocinio Pontificem
 ad sua studia pertraxit, necnon vexil-
 lo per ipsum Papam sacro, commen-
 datitiusque literis ad Hispaniæ Regem
 probe instructus in Hispaniam venit,
 atque septem Vasconum legiones, quas
 a Philippo II. impetraverat, secum in
 Hiberniam duxit, & ineunte Mense
 Julio ad oppidum sanctæ Mariæ in Ke-
 rienfi Peninsula appullus est, ubi per
 Sacerdotes socios suos quemdam locum
 sacrari iussit, ibidemque propugnacu-
 lum erexit, cuius præsidio illius na-
 ves tutæ forent: verum illas mox Tho-
 mas Curtenajus, qui haud procul ab
 hoc loco stationem suam habebat, in-
 vasit, atque occupato propugnaculo fa-
 cile maritimum iter Jacobo interclusit.
 Sinistro hoc fato Hispani haud parum
 turbabantur, præcipue, cum copias
 longe pauciores, ac ambo hi Sacerdo-
 tes Hiberni promiserant, comperirent,
 & nonnisi deserta, & aspera loca cer-
 nerent:

Sæcul. XVI. nerent; quapropter brevi eos nimia
 A.C. 1579. suæ credulitatis pœnitentia subibat.

§. V.

Thuan. l. 68. Catholici mota seditione profligati.
 Jacobus ut Hispanorum animos erigeret, illos prompti subsidii spe lætabat, simulque in duabus Hiberniæ Provinciis Ultonia, & Connacia incolas ad seditionem concitare tentabat: verum frustranea erant hæc molimina; rustici enim in ipsum Jacobum sua arma convertentes potissimos, qui illi adhærebant, interemerunt, ac ipsius caput sclopeti globo trajicientes humi prostraverunt, ejusque corpore in quatuor partes dissecto, caput illius hastæ infixum in Kilmalocensis urbis porta exponi fecerunt. Postea in occisi Jacobi locum seditiosi Joannem Desmundii Comitis Fratrem in factionis suæ Ducem seligebant, qui tamen a Drurio Hiberniæ Prorege comparere jussus, obtemperare renuebat, quapropter adversus hunc comitem Prorex Nicolaum Malbejum unacum validis copiis emisit, atque hic furore, ac vincendi cupiditate accensus brevi in seditiosorum Principem, qui expansum Pontificis vexillum sibi præferri curabat, incidens, eundem unacum copiis suis aggressus est, eumque fuga salutem quærere compulit, ubi

ubi cum ejus copiae sese Victoris arbitrio Sæcul. XVI.
 relinquere cogentur, non sine ingenti A.C. 1579.
 strage deletæ fuerunt, præcipue vero
 inter cæfos Alanus Hibernus Sacerdos,
 cujus supra meminimus, numerabatur,
 qui etiam, ut hosce seditiosos ad pug-
 nam animaret, illos de victoria certos
 esse jubebat. Hæc cum interea gere-
 rentur Druryus Prorex obierat, Mal-
 bejus vero Connaciam, cui præerat, se-
 cessit, donec autem Elisabetha Druryo
 successorem nominaret, Guilielmus Pel-
 hamus supremus Regni Judex belli con-
 tinuandi sollicitudinem in se suscepit,
 ac primas eo curas intendit, ut De-
 mundium Comitem, qui palam Elisa-
 bethæ Reginæ obfistebat, ad officium
 revocare satageret, cum autem præfa-
 tus Comes novo Governatori sese sub-
 mittere renueret, hic Ormondium Co-
 mitem Momoniæ Præfectum ad eun-
 dem decernebat, ut cum Demundio
 transigeret.

Pelhamus Demundio Comiti præ-
 primis has condiciones proponi jus-
 sit: I. Nicolaum Sanderum Sacer-
 dotem, Papæ Nuntium, bellique Au-
 ctorem Anglis tradat. II. Omnes exte-
 ras copias ex Hibernia secedere curet.
 III. Pelhamo urbes, quas ipse occupa-
 verat, reddat. IV. Arma sua in Fra-
 tres suos, ceterosque rebelles conver-
 tat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.

tat. Adimpletis hisce conditionibus præteritorum oblivio Comiti spondebatur: si vero illas acceptare renueret, exilii pæna, bonorumque proscripção eidem intentabatur. Verum Comes, ejusque Fratres hæc in responsis dabant: „arma non nisi pro tuenda fide „Catholica arripuimus, summi Pontificis, Regisque Hispaniæ consensu fultum: quapropter ipsum Pelhamum „hortamur, ut & ipse pro defendenda „caussa adeo æqua suas quoque vires „jungat. „ Accepto hoc responso in eunte Mense Novembri edictum vulgabatur, vi cujus Demundius Comes tanquam patriæ proditor, ac læsæ Majestatis reus fuit declaratus.

§. VI.

Ordo Sancti Basilii a summo Pontifice restauratus.

Bull. t. 2.
Const. 58.

Jam dudum Ordo Sancti Basilii, qui a sancto Basilio Cappadociæ Episcopo non modo nomen, sed etiam regulam ab Orientis Cænobitis adoptatam acceperat, sese latius per Occidentem tanto progressu diffuderat, ut in solo Neapolis Regno centum quinquaginta illius monasteria numerarentur: cum vero disciplinæ relaxatio, temporumque iniquitas maxime Conventuum numerum imminuisset, Gregorius XIII. Papa

Papa regularis instituti vigorem revocare adlaborabat, hancque in rem hoc anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo nono die prima Novembris Constitutionem vulgabat, qua præcepit, ut cuncta hujus Ordinis monasteria tam in Italia, quam in Hispaniis erecta deinceps in unam Congregationem redigerentur, ac juxta Innocentii III, & Concilii Tridentini decreta omnes sub unius Abbatis regimine viverent. Huic reformationi, quæ ritum græcum sequitur, in pluribus tamen rebus sese latinæ Ecclesiæ conformat, plurima contulit privilegia: porro duo reperiuntur Monasteria, in quibus divinum Officium juxta ritum latinum peragitur, præ ceteris autem omnibus monasteriis longe celeberrimum est Messanense, cui plusquam quadraginta Abbatix obnoxix sunt: insuper in Hispania quamplurima sunt Monasteria Italicis Abbatibus unita, quæ itidem latino ritu utuntur: alia vero reformationem juxta Constitutiones eis postea a Clemente VIII. traditas profitentur, ac quarto etiam voto hanc disciplinæ restaurationem amplecti obstringuntur.

Sæcul. XVI.
A C 1579.

Spond. n. 6.

§. VII.

Sæcul. XVI.

§. VII.

A.C. 1579.

Philippus II. in Lusitanice regno sus-
fectus.

Th. l. 69.

Spond. n. 17.

Postquam defuncto Sebastiano Rege Henricus Cardinalis, ut memoravimus, Polonici Regni possessionem acceperat, mox Ulyssipone comitia habebat, quibus ipsemet vestibis suæ dignitati congruis ornatus, sceptrumque dextera rotans intererat, ejusque latus stipabant Bragantiæ Dux, aliique quamplurimi. Postea illorum, qui ad hoc regnum aspirabant, Deputatos satis tranquille excipiebat, nihil tamen de successione decerni volens unice regni competitoribus injungebat, ut vel ipsimet, vel eorum Legati suas rationes denuo exposituri coram adessent. Interea Rex petebat, ut Ordines nomina quindecim Virorum, qui meritis, rerumque experientia illustres erant, ipsi proponerent, quatenus ex illis quinque pro administrando regno nominaret, ita tamen, ut horum electio secreta haberetur, eorumque nomina in capsam Ulyssiponensis Magistratus custodiæ tradendam conjicerentur: præterea rursus nominati fuere viginti duo alii, ex quibus Rex undecim delegit, qui tunc, si Regem ante litem de regni successione

ne

ne terminatam mori contingeret, cum Sæcul. XVI.
 plena potestate eam dijudicarent. A.C 1579.

Porro præfixa die Oratores illorum, qui ad regnum adspirabant, comparebant, ac eorum quisque sui Principis jura firmare nitebatur: at Henricum Leo Henriquez Jesuita, qui ei a confessionibus erat, eo inclinabat, ut Philippum II. Hispaniæ Regem nominaret, cum hic præ reliquis certius jus habere videretur: igitur hanc in rem mox Henricum inter, & Philippum pacta conduntur, paulo post Madritum transmissa: quamprimum vero Pontifex de his notitiam hauserat, quantocius Hispaniæ Regem sollicitabat, ut ipsum in litis arbitrum seligeret, cum hac in occasione diffidia abs dubio exoritura prævideret: verum Philippus, qui longe alii agebatur consiliis juris sui æquitate, ac certitudine tutus hæc Pape indicavit: „haud est, cur Sanctitas sua suas vel arbitri, vel conciliatoris partes interponat: ceterum pro tam egregia voluntate gratias ago, neque recusabo, quominus tunc, si quid improvise incideret, ubi tanto vindice indigerem, auxilium Sanctitatis suæ implorarem, nam illius arbitrium acceptare paratus sum.“

Sæcul XVI.
A C. 1579.

§. VIII.

Concordiæ pacta inter fœderatarum
Provinciarum Ordines.Thuan. l. c.
Strada de
bello Belgico
l. 1. 2. Decad.

Die vigesima tertia Januarii eodem anno fœderatarum Provinciarum Ordines Ultrajecti unionis pacta inibant, quibus Regis Hispani auctoritas in hisce Provinciis plurimum firmabatur: hæc autem pacificatio viginti sex complectebatur articulos, ex quibus tertius decimus etiam urbes, ac Provincias Religionis Catholicæ addictas hujus fœderis participes reddebat, ea tamen lege, ut nil patriæ salutis adversum molirentur. In decimo quinto articulo de Religiosorum, qui relicto suo instituto ad Protestantium sectam transierunt, sustentatione actum, declaratumque est, quod tunc, si forte sua bona repetere judicum ope quærerent, Ordines de hoc certiores fierent, eorumque decilio expectaretur. Porro huic Fœderi Gandavenses, Yprenses, Antverpienses, Brugesenses, Sylvaducenses, Oranius Princeps, & Frisiæ Gubernator subscribebant: ægerrime autem Hispaniæ Regis obsequio sese subiciebant Gallo-Belgiæ Provinciæ, tandem vero, & illæ omnes post varia reconciliationis consilia sese submittebant, exceptis Tornacensibus, & Turnesinis, qui æque, ac

Ca-

Cameracenses, & Bunienses huic fœderi accedere renuebant.

Sæcul. XVI.

A.C. 1579.

§. IX.

Antverpiensium tumultus ob publicam supplicationem.

Sub idem tempus Antverpiæ oriebatur tumultus non sine funesto exitu; quippe Catholici percelebrem sacri Ordinis supplicationem in solemnī festo ascendentis in cœlum Domini instituebant, quam comitabatur ingens cum ipso Archiduce Catholicorum multitudo, mox vero conglobati aliquot Calviniani, assumpta secum sclopetariorum manu, primum incedentibus viam obstruunt, ubi vero Catholici obstantium turbam submovere, ac vi aditum aperire cœnatebantur, Calvinistæ sclopis in pectus intentatis, & mox explosis duos illico interficiunt, atque alios alio fugant, agmen supplicantium dissipant, plerosque in templum cum Archiduce compellunt, concluduntque: insuper rebelles hæretici gliscente, ut fit, ex successu licentia, partim templi fores armati obsident, partim per urbem, dissonis vocibus pellendos urbe sacrificulos conclamant, atque Archiduce, magni veluti beneficii loco, e sacris ædibus abire permisso, reliquos non ante egredi patiuntur, usque dum Canonicorum,

*Strada Es
Thuan. l. 6.*

Mo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

Monachorumque, ac sacrorum hominum, qui non pauciores ducentis supplicationem instituerant, exilium, paucis retentis, a Magistratu impetraverant: cum autem Catholici tantam impietatem indulgere renuerent, hæc repulsa nonnisi ad Calvinistas magis irritandos valebat, quapropter ipsimet hæretici sua auctoritate ducentos illos Ecclesiasticos comprehendunt, urbe expellunt, ac duobus ab urbe milliaribus abductos includunt, donec Senatus hac super re decrevisset: equidem Archidux de atroci hac injuria palam querebatur, ac nisi Sacerdotes, & Monachi rursus libertati redderentur, se mox e Belgio excessurum minitabatur: ast Calvinitæ spretis Principis sui querelis, minisque nil aliud Archiduci indulgebant, nisi ut in urbe conscientie libertas permitteretur, ac pace quadam religionis promulgata etiam templa quædam Sacerdotibus restituerentur, exclusis Monachis, & sacrorum Collegiorum sodalibus, seu Canonicis. Hæc pacificatio die duodecima Junii fuit inita.

§. X.

Exitus Neracensis consultationis.

*Avila hist.
des guerres
civil. de Fr.
l. 6. an. 1579.*

Tandem Neracense colloquium, quod Regina Henrici III. Mater cum Navarræ Rege, ceterisque Protestantibus inti-

instituerat, absoluebatur pacto utrinque
 foedere viginti septem articulis compre-
 henso, qui tamen omnes ad edicti ante
 biennium promulgati verba vel inter-
 pretanda, vel fusius explicanda collima-
 bant. Ceterum hisce pactis unacum
 Regina Matre nomine Regis subscripse-
 re Armandus Guntaldus Bironus, Gui-
 lelmus Joiosa, Ludovicus Sangelafius
 Lanfacus, Bertrandus Salignacus Mo-
 ta-Fenelonius, Guido Faber Pibracius:
 porro postea Rex Lutetiæ hos articulos
 ratos habuit die decima nona Martii.
 Verum eisdem spectata rerum, tem-
 porisque vicissitudine mox publici ju-
 ris facere, tum minus consultum vi-
 debatur.

§. XI.

*Regina Mater in Vasconiam, Occida-
 niam, & Delphinatum profecta.*

Firmato hoc foedere Regina Henrici
 Mater Aginnum venit, omnesque
 Vasconiae, Occidaniae, & Delphinatus
 Provincias lustrabat, inde vero Tolo-
 sam delata diu cum Joanne Monlucio
 Valentiae Episcopo conferebat, ac hu-
 jus Provinciae res componere satagens
 Senatum impense hortabatur, ut de se-
 veritate pristina imposterum quicquam
 remitteret, & se deinceps quoad inter-
 pretationem edicti in Protestantium gra-

Hist. Ecclesiast. Tom. XLIX. Kk tiam

Sæcul. XVI.

A.C. 1579.

Thuan. l. 5.

Thuan. 8.

Avila l. 5.

Mezeray

abregé chron

tom. 5.

Sæcul. XVI. tiam nuper conditi æquiores præberet:
 A.C. 1579. infuper Regina contentionem Damvillæ
 Ducis, ac Marefcalli ita feliciter feda-
 bat, ut hic suæ Præfecturæ relictus se-
 se denuo Regis obsequio subjiceret, ac
 Reginam Gratianopolim usque comita-
 retur, ubi Emanuel Philibertus Sabau-
 diæ Dux illam salutatum venit, eam-
 que rogavit, ut in Bressiam Montluffo-
 rium usque contendens cum Bellogar-
 dio Marefcallo ageret circa Salutiarum
 Principatum, quem hic Marefcallus fer-
 ventibus hisce tumultibus usurpaverat.
 Ergo ambo conveniunt, & Bellogardius
 illis, quos Protestantium Ecclesiæ in
 Delphinatu deputaverant, stipatus seor-
 sim cum Regina Matre conferebat, ac
 crimina sibi imputata diluere nitebatur;
 cumque Regina ejus rationes sibi pro-
 bari simularet, rei exitus ad Regis de-
 cisionem remittebatur.

§. XII.

*Francisci Montmorantii Franciæ Ma-
rescalli obitus.*

*Thu. l. 68.
 Addit. aux
 mem. de Ca-
 stell. p. 382.*

Hæc cum interea gererentur, Regine
 nuntiabatur obitus Francisci Mont-
 morantii Franciæ Marefcalli, cui tan-
 quam vero patriæ Patri ab omnibus Pa-
 risinis ingenti luctu parentabatur. Hic
 Vir erat ob Religionis suæ puritatem, ac
 publicæ quietis amorem regia gratia di-
 gnif-

Sæcul. XVI.
A.C 1579.

gnissimus, in quo sive eximia erga Deum, ac patriam pietas, sive animi magnitudo, liberalitas, fortitudo, ingenium præstans; eximia eruditio apud hujus conditionis viros rara, necnon constantia, & recti, justique improbus amor spectetur, nihil merito in eo desiderari poterat, præter feliciora tempora, & æquiorum Principum mentem, atque longiorem ipsi a Deo vitam concessam: porro paucis ante mortem mensibus Montmorentius in ipsa regia Lutetiæ apoplexia tactus est, cum autem ex eo morbo aliquantum convalesceret, atque e Normania, quo Regis jussu ad hujus Provinciæ comitia, rebus ad motus internos spectantibus, profectus fuerat, rediisset, Escouani in arce sua recurrente morbo oppressus naturæ debitum solvit die sexta Maji, postquam nonnisi quadragesimum octavum ætatis annum, novemque Menses, ac novemdecim dies transegerat. Hic idem testamenti tabulis caverat, ut in Ecclesia a Montmorentiis ædificata prope Connestabilem Patrem suum terræ mandaretur, hinc corpus ejus illuc translatum, atque a Canonicis exceptum ibidem in Ecclesiæ crypta conditum est. Honorabatur etiam post funera duplici epitaphio latino, quod in ejus laudes compositum prope illius sepulcrum columnæ insculptum,

Kk 2

postea

Sæcul. XVI
A.C. 1579.

postea autem fervente bello civili, ac expilata Montmorentiana urbe inde avulsum fuit mere ex odio, & invidia, qua fœderati præclari hujus Viri memoriam, ac Montmorentianæ Domus honorem infectabantur. Ceterum Franciscus ex Diana conjuge sua, ac notha Franciæ Regis Filia, quæ justis natalibus restituta fuerat, nonnisi unicum suscepit filium, qui tamen ante Patris sui obitum puer immatura morte sublatus fuit.

Postmodum Regina Montlufforio discedens per Burgundiam ad Regem Filium suum redibat, ut regni negotiis præesset; quippe Henricus nonnisi voluptatibus indulgens, totam regni curam huic Reginæ committebat: qua tamen agendi ratione Rege prorsus indigna tam Procerum, quam populi odium in se concitabat, ut tamen Nobilium amicitiam sibi conciliaret, novum equestrem Sancti Spiritus ordinem instituit, illiusque festum in Ecclesia Fratrum Augustinianorum Parisiis die prima Januarii hoc anno solemni ritu celebravit. Ceterum Equitum numerum ad centum revocabat, in eo comprehensis ipso Rege ordinis Principe, ieu supremo Magistro, quatuor Cardinalibus, totidem Præiulibus tam Archiepiscopis, quam Episcopis, magno Eleemofynaroy
Can-

Cancellario, Præposito, Præfecto ceremoniarum, magno Thesaurario, Tabellario, Feciali, atque Ordinis Ostiario.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

§. XIII.

Ordo Equitum Sancti Spiritus a Rege institutus.

Equidem Rex pro Hispanorum more cuilibet Equiti, Præfule, ac Ministro Cænobiorum bona in commendam attribuere decreverat, verum summus Pontifex a Clero Gallicano sollicitatus sese huic usurpationi acriter opponebat, quamvis nonnulli Sanctitati suæ fidem facere niterentur, eum Ordinem ad Catholicæ, & Apostolico-Romanæ Religionis amplificationem, & sectarii veneni extirpationem institutum iri, cum id equitum præcipuum jusjurandum esset: verum quamvis id reclamante sacro Ordine impetrari non potuisset, nomen nihilominus permansit, & Equites S. Spiritus commendatores adhucdum nominabantur, eorumque singulis Rex mille aureorum pensionem assignabat, quæ tamen postea ad tria librarum milia restringebatur. Ferunt, quod Henricus Rex hunc Ordinem in honorem Sancti Spiritus instituerit, eo quod ipso Pentecostes festo in Poloniæ Regem electus fuisset, eademque die postmodum

Thu. l. c.
Avila l. 6.
Mozelay l. c.
p. 286.

Sæcul. XVI. Francici regni folium obtiniffet, imo
 A.C. 1579. ipsa etiam hac Pentecostes die primam
 lucem aspexiffet: insuper referunt alii,
 quod novum hoc Equitum Collegium in-
 stituerit, ut imitaretur exemplum Lu-
 dovici Andegavenfis, qui Tarentinus di-
 cebatur, eratque e regia Franciæ stir-
 pe oriundus, ac Jerosolymæ, & Sici-
 liæ Rex, necnon Joannæ I. Neapolis
 Reginæ, & Provinciæ Comitiffæ mari-
 tus: porro hic anno Domini millesimo
 trecentesimo quinquagesimo tertio Or-
 dinem Sancti Spiritus instituerat, hu-
 jusque instituti diploma viginti quinque
 capita complectens Veneti Henrico Ill.
 Regi, dum e Polonia redierat, exhi-
 bebant.

Ceterum huic solemnitati cum sum-
 ma magnificentia celebratæ Octavius
 Blandinus Florentinus Papæ Nuntius,
 & postea Cardinalis intererat: Regem
 vero usque ad supremi Altaris gradum
 quidam Episcopus conducebat, eique
 genuflexo Ordinis torquem imponebat:
 erat tunc Rex oblongo paludamento ex
 nigro serico aureis liliis, & flammis di-
 stincto vestitus, torques vero ex liliis
 ita affabre connexus erat, ut ex illis
 flammæ alternatim cum litera H. co-
 ronis circumdata, hostium trophæis
 intermixtæ profilire viderentur, infimo
 autem loco appensa visebatur crux au-
 rea

rea encausto opere elaborata, atque octo radiis, quorum quilibet in aureum punctum desinit, atque in quovis crucis angulo aureum liliū præsefert, ornata, in cujus medio columba exhibebatur (*). Rex dum in supremum hujus Ordinis Magistrum proclamatus vitam, regniq̄ sui vires pro tuenda fide Catholica impendere, jurato sponderat, thronum suum conscendens ceteros Equites jam antea designatos creabat, qui non modo fidem defendere, sed etiam hujus Ordinis statuta servare interposita juramenti Religione promittere jubebantur: equidem ab initio hæc statuta nonnisi sexaginta quinque articulos complectebantur, progressu tamen temporis usque ad nonaginta septem excreverant, qui tamen hodiedum ad nonaginta quinque reducti fuere: ne vero Ordo Sancti Michaelis vilesceret, Rex nemini, nisi pridie Ordini Sancti Michaelis sit aggregatus, novum hunc Ordinem conferri, illumque passim Ordinem regum appellari præcepit: eapropter

K k 4

etiam

(*) Consuli potest P. Honoratus a S. Maria in sua Equitum militarium historia mihi fol 131. & 458. ubi hujus Ordinis institutionem, ac insignia describit, atque in chalcographica pictura exhibet.

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.

Sæcul. XVI
A.C. 1579.

etiam Equites Sancti Spiritus vocantur
Equites regionum Ordinum.

§. XIV.

*Cleri Gallicani petitio de celebrandis
suis comitiis.*

Thu. l. 68.
Spond. hoc
an. n. 3.

Quamvis Rex hac ratione fidei ortho-
doxæ studium præferre videretur,
nihilominus vel ejus exemplo, aut omni-
no illius auctoritate indies novi in reli-
gione abusus irreperant; quippe deci-
mas sibi in Poffiacensi colloquio indul-
tas usurpare pergebat, quamvis Diæce-
fes jam ab ultima Januarii die anni post
Christum natum millesimi quingentesi-
mi septuagesimi septimi ab hoc onere
liberari debuissent: eapropter Episcopi,
cum ejusmodi corruptelam non nisi æ-
gerrime ferrent, libellum supplicem Re-
gi porrigebant, rogantes, ut ipsis to-
tius Cleri Gallicani comitia convocare,
ibidemque statuta religioni proficua con-
dere liceret. Id quidem Rex sæpius
abnuebat, tandem vero Clero permisit,
ut hoc anno Domini millesimo quingen-
tesimo septuagesimo nono Parisiis con-
ventum cogere posset: quam in rem
regium diploma die duodecima Janua-
rii datum tradidit, in quo secundi Or-
dinis Proceribus hæc comitia accedere
prohibitum, ac duntaxat permissum, ut
ex qualibet Provincia duos, vel tres
Epi-

Episcopos ablegare possent. Paulo post Rex datis regiis literis die vigesima tertia Maji ampliolem dedit facultatem, concedens, quatenus Diæceses secundi Ordinis Deputatos seligerent, ea tamen lege, ut præter duos ex illis unus Episcopus, qui tertius esset, adiret. Hac concessione facta die trigesima Maji Deputati Parisiis convenerunt, cum autem ibidem minus tranquille subsistere possent, hinc Regem rogabant, ut alio in loco ab aula magis remoto sua comitia habere permitterentur, cum ergo Rex eis Melodunensem urbem ad Sequanam nonnisi decima leuca Parisiis distitam assignaret, hi ibidem die vigesima Junii primam celebrarunt sessionem.

§. XV.

Melodunensis Synodus, atque Vasatensis Episcopi oratio ad Regem.

Die vigesima sexta ejusdem Mensis Deputatus seligebatur, qui unacum aliis quibusdam de corrupto Ecclesiæ Gallicanæ statu coram Rege differeret, maloque remedium per salutaria decreta opponendi necessitatem declararet: itaque a confessus initio Arnaldus Pontacus Vasatensis Episcopus, qui ad Regem verba facturus nominabatur, die tertia Julii ad Regis alloquium admissus haud minori libertate,

Kk 5 quam

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.*Abregé des
actes & mem.
du Clergé de
France du
Boujon p.
479.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

quam prudentia, & sapientia perorabat, ac tria præcipue capita proponebat, petens, ut Clerus disciplinæ Ecclesiasticæ restorationem postularet, ac Concilii Tridentini decreta promulgarentur, eaque servarentur, necnon dignorum Præfulum selectus fieret. Hic Præful, ut regis Maiestati suæ aperte demonstraret, quod Cleri desideria, ac vota benignis auribus excipere teneretur, suam propositionem sequentibus suffulciebat argumentis, ita perorans:

„Disciplinæ Ecclesiasticæ neglectus excitavit turbas, quæ Ecclesiam depopulantur, ad quas etiam plurimum contulit, quod hi, quibus primæ dignitates, ac munia in Ecclesia sunt commissa, ad hæc officia rite obeunda indigni, atque inepti existant: si autem huic malo remedium opponeretur, sperandum, quod Ecclesia Gallicana antiquitate sua adeo celebris brevi pristinum suum splendorem recuperatura sit: quippe felicissimus, ac maxime diuturnus Reipublicæ status erat utervis ille, quo Romani Reipublicæ norma utebantur, ac Gallia ad regni dignitatem evehebatur: ast horum regnorum status duntaxat faustus, florensque tamdiu erat, quamdiu ambo ordinem, statuta, & religionis suæ disciplinam exacte colebant,

„bant, nam ad Dei timorem, cul- Sæcul. XVI.
 „tumque conservandum disciplina Ec- A C 1579.
 „clesiastica non minus est necessaria,
 „quam disciplina politica, legesque ci-
 „viles serviunt ad obtinenda a subditis
 „erga suum Principem obsequia, tutum-
 „que concordiae asyllum in quavis Re-
 „publica subministrat ipsa disciplina Ec-
 „clesiastica, quæ tamen ferme penitus
 „extincta jacet in Galliis: eam vero re-
 „staurandi medium maxime opportu-
 „num est, ut Rege annuente reforma-
 „tionis, & disciplinæ decreta in Con-
 „cilio Tridentino per Spiritum sanctum
 „dictata in usum deducantur, cum hæc
 „sint omnium exactissima, proin morbo
 „præsenti, quo omnia Corporis Eccle-
 „siastici membra laborant, maxime ac-
 „commodata. „

His postea Episcopus deputatus ista
 subjunxit, „In Præsulum delectu omni-
 „no perniciose peccatur, nec ab ea cul-
 „pa Rex immunis est; nam in Francia
 „viginti octo partim Archiepiscopatus,
 „& partim Episcopatus reperiuntur, qui
 „Pastoribus destituti sunt: præterea fer-
 „me infinitæ recensentur Abbatiae, &
 „Beneficia, quibus nulli præfunt Recto-
 „res, eoquod illorum redditus a profanis
 „usurpentur, & misere dilapidentur:
 „insuper ex triginta quinque Diæcesi-
 „bus, quæ in Occidania, & Aquitania
 „„ultra

Sæcul. XVI. „ultra Garumnam numerantur, vix uni-
 A.C. 1579. „ca indicari potest, in qua sacrum oleum
 „hoc anno fuit confectum, quia Præ-
 „sulum potissimi, aut ibidem non substi-
 „stunt, vel morbis præpediti fuerunt, aut
 „Episcopi his titulis provisi defunt: sin-
 „gulis etiam diebus vix non infinities si-
 „monix labes admittitur in rei sacrx ad-
 „ministracione, necnon in beneficii fidu-
 „ciarii collationibus, & pensionibus, quæ
 „jubente, vel conscio ipso Rege muliercu-
 „lis, aliisque profanis hominibus conse-
 „runtur: notum insuper est, quod in quo-
 „dam judicio, dum supremus Senatus
 „vigeat, pecuniæ ex divendito quo-
 „dam Episcopatu acceptæ ad solvendum
 „æ alienum illius Præfulis, qui illum
 „divendebat, impensæ fuerint: constat
 „etiam, quod in ipso Regis Senatu quæ-
 „dam Abbacia cuidam Matronæ do-
 „tis nomine fuerit adjudicata, de-
 „claratumque, post hujus mulierculæ
 „mortem illius hæredes hac Abbacia
 „æquis partibus functuros: neminem
 „denique latet, quod jubente ipso Rege
 „ex pinquioribus beneficiis annatæ ex-
 „torqueantur: igitur Clerus perdemisse
 „regiæ Majestati suæ supplicat, quate-
 „nus omnes hæc corruptelas everti
 „curet, ac etiamnum declaret, quod
 „omnia beneficia fiduciaria, aut in lai-
 „corum pensiones collata, necnon ad-
 „mini-

„ministracionis titulo, vel per simoniam **Sæcul. XVI.**
 „detenta vacare censeantur, atque ab **A.C. 1579.**
 „aliis obtineri valeant, ne imposterum
 „filiorum panis canibus projiciatur: pa-
 „riter etiam regia sua Majestas electio-
 „nes juxta communis juris, sacrorum-
 „que Canonum præscripta in usum re-
 „vocari jubeat. „ Denique hic Præsul
 sermonem suum iisdem absolvit verbis,
 quæ Rex Ludovicus Magnus moriens
 Filio suo suggererat: „memento, Fili
 „mi ac semper ob oculos tuos pone, quod
 „regia auctoritas nil nisi villicatio, mu-
 „nusque publicum sit, cujus quondam
 „post mortem tuam exactissimam, &
 „severam rationem reddere teneberis. „

Hæc Præsulis oratio Henrico III.
 Regi minus grata accidebat, ac jam
 tum eum pœnitentia subibat, quod sa-
 cro Ordinis conveniendi facultatem con-
 cesserit.

§. XVI.

*Regis responsum ad Vasatensis Epi-
scopi orationem.*

Nihilominus Rex ad tria capita a
 Præfule exposita moderate hæc re-
 spondit, & quidem ad primum: „equi-
 „dem studium, piaque vestra voluntas,
 „qua Ordinis vestri emendationem ur-
 „gere, atque muneris vestri partes ad-
 „implere satagitis, mihi summopere pro-
 „batur,

Sæcul XVI. „batur, quo eodem etiam studio ac-
A.C. 1579. „cendor, nilque ardentius desidero,
 „quam Dei honorem, ejusque cultum
 „in regno meo restauratum cernere: por-
 „ro id in pluribus occasionibus testatum
 „reddidi, & licet hucusque cuncta mea
 „vota opere explere non potuerim, non
 „tamen ego horum abusu causa ex-
 „isto: ad alterum caput respondeo, quod
 „jam ab initio regiminis mei ardentem
 „optaverim, ut Tridentinum Conci-
 „lium promulgetur: verum illius rece-
 „ptio non a me solo dependet, notum-
 „que vobis est, quod nequidem Caro-
 „lus fælucis recordationis Frater meus
 „id impetrare potuerit: insuper post-
 „quam hujus Synodi acta per Cardina-
 „lem Lotharingium pie defunctum in
 „Franciam fuere delata, Fontis-Bel-
 „laquei comitia fuere habita, in qui-
 „bus tamen decisum, quod spectata tem-
 „poris vicissitudine hoc Concilium reci-
 „pere haud consultum foret: præterea
 „etiam ibidem quindecim, aut sexde-
 „cim notabantur articuli regni juribus,
 „atque Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus
 „adversantes: imo etiam ipsemet Pon-
 „tifex hanc Synodum recipi haud am-
 „plius urgebat: denique ad tertium ca-
 „put declaro, quod Clericos ad Episco-
 „patus, & Abbatias nominandi jus mi-
 „hi competat, eoque mei Prædecesso-
 „res

Sæcul. XVI.

A.C. 1579

„res consentiente Pontifice, & Eccle-
 „sia fruebantur, quibus nec pietate, ne-
 „que religione, nec studio erga Deum, &
 „Ecclesiam cedere volo, proin hoc jus æ-
 „que, ac illi, semper factum conservabo:
 „nec ego solus eo fruor; pariter enim
 „Hispaniæ, & Poloniæ Reges intra sua
 „regna eadem gaudent prærogativa,
 „mihique magis, quam forte cuiquam
 „alteri cogniti sunt illi, qui ad ejusmodi
 „beneficia idonei sunt, si vero præteritis
 „temporibus illa indignis contuli, hoc
 „malum jamjam usu senescere comperi. „

Postea Rex fusius excurrebat in ma-
 la, quæ ex electionibus proveniunt,
 quam in rem comprobare nitebatur,
 quod hæ non nisi fraudum, factionum,
 & simoniæ ope, priusquam Reges ad
 beneficia nominassent, fuerint peractæ:
 quantum vero ad profanas commendas
 attinet, respondit, quod illas duntaxat
 eo sine sibi vindicaret, ut magis, ma-
 gisque fidem Catholicam conservare,
 atque Ordinis sancti Spiritus Equitibus
 nuper pro tuenda Ecclesia Catholica,
 Apostolica, & Romana institutis suc-
 currere posset, nequaquam vero eccle-
 siasticorum bonorum foundationes sibi
 attribuere præsumeret: de cetero au-
 tem id, quod hac in re fecisset, alio-
 rum exemplo comprobatum agebat, eo-
 quod Papa annatas sibi vendicasset, &
 Sa-

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

Sabaudia Ducis ad alendos suos Ordines Ecclesiae reditus impenderent. Denique suum responsum absolvit, ista profitendo: ego homo sum, ac minime ignoro, quod de mea administratione Deo rationem reddere teneam, aut multum in Dei misericordia confido.

§. XVII.

Episcopi Vafatensis responsum ad Regis orationem.

Actes l. c.
p 9.

Verum mox Vafatensis Episcopus hæc Regi reposuit: „equidem haud diffiteor, quod morum corruptio in Gallis inter Ecclesiasticos multum invaluerit, non tamen ea toti Corpori imputanda venit: universus enim Ordo suorum membrorum emendationem deposcit, nihilque magis, nisi perversa illa molimina, quæ regiam suam Majestatem a prona voluntate, piisque consiliis præpediunt, Clerus Gallicanus abhorret, nec propositum colloquium cum Curiae Senatoribus circa Synodi Tridentinae promulgationem rejicit: de cetero electiones regno adeo necessariae videntur, ut haud obscure observatum sit, quod nunquam stirpis regiae propagatio desierit, nisi postquam Reges nominationem ad beneficicia usurpaverant: eapropter Carolus Magnus, cum eam rem experimento

„edo-

„edoctus fuisset, Ecclesiis, & Monaste-
 „riis electionum jus reddebat, ut
 „hac ratione Dei vindictam placaret,
 „imo eodem ex capite Hugo Capetus
 „sancti Germani Abbatiam, aliasque,
 „quas sibimetipsi attribuerat, dimisit,
 „nec minus sanctus Ludovicus ad bene-
 „ficia nominare abhorruit, ut mala, quæ
 „sibi impendere noverat, evitaret: por-
 „ro Franciæ Episcopi suas Ecclesias ite-
 „rum abdicare, paratissimi sunt, ea ta-
 „men lege, ut digniores, quam hucuf-
 „que factum, illis præficiantur (*). De-
 „nique Clerus omnino ratum habet E-
 „questrem Ordinem a Rege institutum,
 „perdemisse tamen suam Majestatem
 „rogat, quatenus perpendere velit, quod
 „Ecclesiæ patrimonium ad ditandos lai-
 „cos non fuerit destinatum, nec tamen
 „propterea Ecclesiasticus Ordo cum Re-
 „ge contendere intendit, sed unice suæ
 „conscientiæ satisfacere, ac status sui
 „præcepta adimplere satagit: Deus enim
 „inter Episcopos, & Principes idem erit
 „Judex.,,

§. XVIII.

(*) Hæc subjunxit hic Episcopus, eoquod
 Rex ex Episcopis præsentibus quosdam Re-
 gis beneficio ad Episcopales Sedes fuisse no-
 minatos objecisset his verbis: *num si penes
 Collegia electionis jus fuisset, vos Episcopi electi
 fuissetis.*

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

Ll

Sæcul. XVI.
 A.C. 1579.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

§. XVIII.

Regis postulata ad Clerum Gallicanum.

Memoir. l. c.
p. 30.

Tum quidem Rex nullum dederat responsum, Bellverium tamen ad Cleri comitia ablegabat, ut ibidem proponeret, quod Ecclesiastici ulterius adhuc decimas penderent, quas pro sublevandis regni necessitatibus solvere sese antea obstrinxerant. Hæc immodica Regis petitio plurimum cunctis displicebat, atque Episcopi hac super re deliberare recusabant, nisi prius Rex ad Vasatensis Præsulis rationes respondisset, præcipue vero Lugdunensis Archiepiscopus Bellverio exposuit, quod Ordo Ecclesiasticus intra postremos hosce viginti annos Regi majorem longe pecuniarum summam concessisset, ac per integra duo priora sæcula, imo a tempore, quo Christiana religio in regno fuit stabilita, eidem dedisset. His dictis idem Præsul fufius excurrebat in ea, quæ tangebant immunitatem Ecclesiasticam, quin tamen negare auderet, quod etiam Ordo Ecclesiasticus in urgente necessitate succurrere teneretur: cum vero eidem Bellverius Bonifacii VIII. diploma objecisset, atque ex eo comprobare niteretur, quod Reges necessitatis tempore per vias legitimas, atque usitatas de

de Ecclesiarum bonis disponere vale-
 rent, mox Archiepiscopus ita reposuit: **Sæcul. XVI.**
 „hoc diploma est supposititium, nam **A.C. 1579.**
 „in tertio hujus Pontificatus anno da-
 „tum legitur, eo autem tempore hic
 „Papa cum Philippo Pulchro gravissi-
 „mas contentiones habuit: insuper in
 „hoc diplomate decimo tertio ejusdem
 „Pontificatus anno mentio fit, cum ta-
 „men hic Papa duntaxat octo annos, no-
 „vem Menses, & septendecim dies regna-
 „set: præterea etsi hoc privilegium re-
 „ipsa esset concessum, illud tamen ipse-
 „met Bonifacius revocavit, Regi in-
 „hibens, ne Cleri sui bona usurparet,
 „non obstante quocunque privilegio in
 „contrarium concessio. Denique al-
 „latis pluribus aliis rationibus Archipræ-
 „sul concludebat, quod nunc, cum Epi-
 „scopi in nuperis comitiis suas liber-
 „tates fuisse labefactatas pertimescerent,
 „ibidem stabilita confirmare renuant,
 „nili cuncta prius sedulo fuissent discussa.

Ad hæc Bellverius reposuit, quod
 Rex nec Clericorum immunitatem læ-
 dere, minus vero præterita pacta cum
 Parisiensi urbe Anno millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo primo, & sexa-
 gesimo septimo inita resuscitare velit,
 Ecclesiasticos tamen rogitet, ut miseri
 status rationem habere, & ultro, ac
 solo benevolentia titulo Regi succurrere
 velint.

Sæcul XVI
A.C 1579.

velint. Postea pluribus regni inopiam, necnon Regis ærarium pro Religionis defensione exhaustum commemorabat, & demonstratum ibat, quod hæc pacta in frequenti confessu nonnisi post maturam deliberationem fuissent sancita: de cetero autem Regem ad Cleri postulata responsurum aiebat, imo jamjam circa hoc responsum quorundam operam esse impensam testabatur: verum Ordo Ecclesiasticus comprobabat, quod suis obligationibus erga Parisiensem urbem plene satisfecisset, eo potissimum nomine, quod transactiones anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, ac sexto post anno Parisiis initas integra fide adimpleisset: cum autem nihilominus Mercatorum Præfectus hæc decimas rursus solvi urgeret, commentus, quod Clericorum pecuniæ ad solvenda antiqua debita, non vero ad extinguendam sortis summam adhibitæ fuerint, hinc Rex Clericis injunxit, ut Urbi satisfacerent: Ordo tamen Ecclesiasticus quicquam solvere renuens Deputatos ad Regem ablegabat, qui exponerent, quod Ecclesiastici pactis in Urbis Prætorio sancitis nullo pacto obstricti essent: insuper his Deputatis injunctum, ut articulos pro Ecclesiæ reformatione decretos innovarent: porro hanc in rem feria secunda

Julij

2. Id.

cunda



cunda die tertia Augusti inter Lugdunensem Archiepiscopum, & Vafatensem, Novodunensem, ac Parisiensem Antistites, & inter Cancellarium, Nivernensem Ducem, Retensem Marefcallum, Bellverium, Procuratorem generalem, & supremum Campaniæ Priorem consultatio habebatur, quæ usque ad quartam Septembris diem protracta est, eaque finita Clerus consensit, ut Regi decies centena librarum millia quotannis tanquam donum, ut vocant, gratuitum per integros sex annos daretur, ea tamen lege, ut Clerici pactis in Urbis Prætorio initis haud amplius satisfacere teneantur: ast huic propositioni Rex annuere recusabat.

§. XIX.

Varia statuta in Cleri comitiis promulgata.

Tandem die vigesima secunda Septembris sancitum, ut præter Diæcesanos, & Metropolitanos Syndicos duo nominarentur, qui Clericorum negotia procurarent, iisdem autem salarii nomine quotannis mille quingentæ libræ Francicæ assignarentur: insuper decretum, ut quovis biennio alii designentur, privatisque decimarum exactoribus penitus abolitis ex Ordine Ecclesiastico tres Viri conspicui quolibet triennio

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579. nio eligantur, qui Archiepiscopatum, & Episcopatum appellationes dijudicarent, fociosque hujus muneris haberent Ecclesiæ Ministros, & supremæ, aut Præsidialis Curiaæ Consiliarios, quorum sententiæ, si tamen a septem sint latæ, tanquam a suprema Curia pronuntiatæ censeantur, ita tamen, ut etiam Archiepiscopo, & Episcopo illis interesse liceat, dummodo ibidem non agatur de causis, quas ipsi, vel eorum Vicarii, aut illius Diæcesis Clerici deputati jam antea cognoverunt: præterea ibidem sanctio fiebat, vi cujus Archiepiscopi, & Episcopi coram suo Capitulo, Abbates vero, & Priores, alique beneficiati coram suo Ordinario jurent, se ad suas dignitates nequaquam per simoniæ viam fuisse eVectos. Die vigesima quinta Septembris Ecclesiasticus Ordo rursus reclamabat adversus Regem, qui importune a Clero petebat, ut decimas solvere continuaret: die autem vigesima sexta ejusdem Mensis comitia in Abbatia sancti Germani de Pratis Lutetiæ celebranda ad diem trigesimam præfati Mensis differebantur, ubi tamen idem, ut antea, decretum fuit.

§. XX.

Sæcul. XVI.
A C 1579.*Briocensis Episcopus ab Ordine Ecclesiastico ad Regem deputatus.*

Postea Ordo Ecclesiasticus denuo Nicolaum Anglerium Briocensem in Britannia Episcopum unacum quibusdam Archiepiscopis, Episcopis, aliisque ad Regem ablegabat, ut postulationibus a Vasatensi Antistite propositis insisteret: hic ergo ad Regis alloquium die tertia Octobris admissus ita perorabat: „Omnis Monarchiæ, ac Regni, præcipue vero Francici, unicum, ac verum firmamentum est Religio, atque ipsemet sanctus Remigius Rhemensis Archiepiscopus, dum Clodovæum primum ex Franciæ Regibus Christianum Principem anno Domini quadringentesimo nonagesimo nono lustrali aqua tinxerat, prædixit, tamdiu Regnum duraturum, quamdiu illius Reges fidei, & Ecclesiæ Catholicæ adhærerent: veterem autem disciplinam revocandi medium vere unicum est Concilii Tridentini promulgatio, atque electionum jus Ecclesiis, & Monasteriis restituendi sollicitudo; porro in Poloniæ regno, ubi variæ sectæ tolerantur, eadem Synodus fuit promulgata, atque a Catholicis recepta, quin tamen inter hos, & hæreticos

*Afles &
mem. l. c.
pag. 16.
Trauan. l. 68.
Spond. n. 6.*

Sæcul. XVI. „pax fuisset turbata: in Galliis vero
A.C. 1579. „Religionis neglectus tantopere excre-
 „vit, ut plures Episcopatus absque Epi-
 „scopis ibidem reperiantur, quia Ec-
 „clesiarum bona inique a laicis usur-
 „pantur: insuper plusquam octingentæ
 „numerantur Abbatix, ad quas Rex
 „quidem jus nominandi habet, vix ta-
 „men centum Abbates nominavit: illi
 „vero Abbates, qui hæc bona in com-
 „mendam a Rege perceperunt, potif-
 „sima ex parte suum jus cedunt con-
 „jugatis, proin laicis, unde oritur,
 „quod Abbatix Religiosis destitutæ sint,
 „nullaque ibi regula, nulla disciplina,
 „nulla hospitalitas servetur, imo ne-
 „quidem ullus cultus, aut officium
 „Deo iis in locis persolvatur. „

„Ast Deus justus Judex a vestra
 „Majestate olim requiret tot animas,
 „quæ probis Pastoribus, ac Prælatibus
 „destitutæ in æternum perire coguntur,
 „eoquod vestra Majestas ad Regni sui
 „Ecclesias ejusmodi Pastores nominare
 „neglexerit: nonne Dei vindicta per-
 „cussit Alphonsum, & Emanuelem ejus
 „Filius Neapolis Regem propter indi-
 „gnas Episcopatum, & Abbatiarum
 „collationes? nonne ut iniquæ usurpa-
 „tiones contra Dei Ecclesiam attentatæ
 „punirentur, Franciæ Regnum a Clod-
 „væ familiæ posteris translatum est
 „ad

Sæcul. XVI.

A. C. 1579.

„ad Caroli Magni profapiam, ac demum
 „ab hujus stirpe ad Hugonis Capeti
 „progeniem? insuper exploratum est,
 „quod ab illo temporis articulo, quo
 „Franciæ Reges ad beneficia nominandi
 „jus per concordata sibi arrogarunt,
 „hæreses eorum regna devastare cœpe-
 „rint, novaque indies incrementa sum-
 „pserint, quin propterea aut regnum
 „illud magis locuples, vel magis fau-
 „stum evaderet, cum tamen vigente
 „electionum jure Ecclesia semper magis
 „florisset: enimvero a Regiâ vestra
 „Majestate Ecclesiasticus Ordo sua
 „bona, & privilegia augeri minime pe-
 „tit, unice tamen desiderat, ut exi-
 „guas bonorum reliquias eidem saltem
 „conservare velit, cum isipse aliunde
 „miseriis, & calamitatibus per viginti
 „omnino annos toleratis pene confectus
 „sit: non autem æquitatem, aut justi-
 „tiam sapit, quod Clerus compellatur,
 „quatenus plusquam duodecies centies
 „librarum millia quotannis solvere per-
 „gat, sub obtentu quorundam pacto-
 „rum, quorum tamen plura jam fuere
 „adimpleta, alia autem a Viris facul-
 „tate ad id necessaria destitutis absque
 „judicii forma, sine solemnitatibus, at-
 „que auctoritate a sacris Canonibus re-
 „quisita, ac denique sine causæ legi-
 „timæ cognitione fuerunt inita, adeo,

Ll 5

„ut

Sæcul. XVI. „ut neququam subsistant: eapropter
A.C. 1579 „Clerus perdemisse Vestræ Majestati
 „supplicat, ut ad summam penuriam
 „infinitorum pene Ecclesiasticorum,
 „quos tamen continuata decimarum
 „exactione vexari præcipit, attendere
 „velit, præcipue cum vestra Majestas
 „æque, ac Carolus IX. Rex Frater tuus
 „ab Ecclesia circiter octoginta millio-
 „nes extorsisset, non tamen propterea
 „tum populus minus erat oneratus, nec
 „æreria minus exhausta, æsque ali-
 „num minus auctum: ceterum ad re-
 „giminis tranquillitatem, securitatem-
 „que, necnon ad conciliandum subdi-
 „torum obsequium, ac subjectionem
 „nullum medium magis aptum occur-
 „rit, nisi ut Synodum Tridentinam publi-
 „cari, & Concilia provincialia haberi
 „præcipiatur, hocque pacto Disciplina
 „Ecclesiastica restauretur: denique si
 „electionum jus Capitulis reddatur, ac
 „nominationibus nuntius mittatur, ve-
 „stra Majestas conscientie satisfacere
 „poterit, ac sperare valebit, quod probi
 „Pastores Ecclesiis præficiantur.,

§. XXI.

*Regis responsum ad Briocensis Epi-
 scopi orationem.*

Altesp. 27. **Q**uamvis Rex ad abroganda concor-
 data admoneri injuriæ loco habe-
 ret

ret, nihilominus sat moderate respon-
dit, ac præprimis se Ordini Ecclesia-
stico valde propensum esse palam pro-
fessus hæc addebat; „præcipio, ut hac
„duntaxat vice Clerus quaterdecies
„centena millia librarum pendat: „
his dictis deputatis injunxit, ut ad suas
Diæceses redeant, & quantocius tam
ibi, quam in reliquis Regni Diæcesi-
bus hanc Regis voluntatem publicam
reddant. Verum ad hæc Briocensis
Præsul reposuit: „non sine maximo
„animi sui dolore Ordo Ecclesiasticus
„experiri cogitur, quod per integrum
„semestre, quo Vestræ Majestati satis-
„facere toto studio adlaborabat, nun-
„quam tamen optatum successum for-
„turi potuerit: cum vero eidem duo-
„decies centena aureorum millia offert,
„rem suis viribus superiorem pollice-
„tur, nec quid amplius Regi offerre
„potest: de cetero autem vestra Maje-
„stas sibi caveat, ne tunc, dum per
„hæc exactiones æquitati tantopere
„adversas ea, quæ Dei, suorumque
„membrorum sunt, inique eripit, Deus
„vicissim regnum gratis datum ab ea
„auferat. „ His dictis sermonem ab-
solvens Regis patrocinium implorabat,
Matrique Reginæ supplicabat, ut Re-
gnum ab hæresis veneno præservare,
ac tumultus sedare curaret.

§. XXII.

Sæcul XVI.
A.C. 1579.

Sæcul. XVI.

A.C. 1579.

§. XXII.

*Clerus sub quibusdam conditionibus
hoc donum gratuitum concedens.*

Mem. l. c.

Rex a concepta sua sententia adeo non recesserat, ut etiam gravem indignationem ob Episcopi sermonem conceptam ostenderet, ac pertinaciter postularet, quatenus Clerus præter quaterdecies centena librarum millia, quæ per integrum sexennium quovis anno Regi jamjam solverat, insuper antiquis debitis Parisinæ urbi satisfaceret, necnon novies centena librarum millia Nemorsio Principi, & Principissæ, necnon aliis privatis viris debita numeraret. Clerus cum nullam precum suarum rationem haberi indignaretur, non nisi oblatam pecuniarum summam Regi concedere statuit, præscriptis hæc conditionibus, I. Rex per regium diploma declaret, quod imposterum Ordinem Ecclesiasticum nulla alia exactione exhaurire velit, nisi id fieret ex causa legitima in generali quodam conventu proposita, & Ordinum consensu approbata. II. Diæceses ad id non in solidum adstringantur. III. Rex Clero damna ex incultis agris orta compenset. IV. Diæcesis, vel ille Beneficiatus, qui aut belli injuria, aut alia violentia suis proventibus spoliatus est, juxta sui damni

damni mensuram ab hac exactione ex-
 oneretur. V. Ad calcem libello pro
 decimarum exactione confecto hæc
 verba subjiciantur: *Factum juxta Cleri
 intentionem.* VI. Ea, quæ Clerus nunc
 concedit, fiant absque novo contractu,
 & mere ad pecuniarii subsidii modum,
 idque ad sexennium, quo durante tem-
 pore Rex ad expungendum æs alienum
 Ordinum comitia convocet.

§. XXIII.

*Regis responsum ad hæc Cleri pro-
 positiones.*

Attamen Rex harum conditionum
 quasdam oppositis novis difficulta-
 tibus evertere nitebatur, tandem vero
 sibi satisfactum iri declarabat, si Ec-
 clesiasticus Ordo Regi per integrum
 sexennium tredecies centena millia li-
 brarum quotannis dono daret: ergo
 hæc transactio sequenti Anno Christi
 millesimo quingentesimo octogesimo die
 decima quarta Februarii a Deputatis
 firmatur, ea tamen lege, ut novi con-
 tractus non approbarentur, de cetero
 autem Ordo Ecclesiasticus pactis per
 contractus tam anno millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo primo, quam
 sexagesimo septimo initis, necnon
 conditionibus in nupera oblatione
 productis frui possit, hancque in rem
 Clerus

Sæcul. XVI.
 A.C. 1579.

*Collect. des
 affair. du
 Clergé de
 France t. 3.*

Sæcul. XVI. Clerus Pontificis veniam, & consensum petere teneatur. Sub idem tempus pariter sancitum, ut ex Deputatis nullus, nisi sacris sit initiatus, ad Cleri comitia admitteretur. Hac transactione die vigesimo Februarii utrinque acceptata Cleri Gallicani comitia hoc pacto absolvebantur.

§. XXIV.

Tumultus ob Cleri repulsam circa solvendas decimas Parisiis exortus.

Thuan. l. 68. Die undecima Decembris jamjam Ordo Ecclesiasticus Mercatorum Prætori, necnon Parisinæ urbis Consulibus significari jussit, quod adversus contractus, de quibus jam supra mentionem fecimus, omnes Prælati palam reclamarent, cum compertum esset, quod obligationibus per hosce contractus impositis plene satisfecissent, nec amplius illis teneantur: attamen re hac in vulgus sparsa subito tumultus oriebatur, in quo privatorum quamplurimi rem, atque fortunas amittebant, ad mendicitatem redacti; primo equidem secretæ laicorum indignationes audiebantur, dein autem ad seditionem res spectare videbatur, furensque plebecula per plateas cursitabat, pluresque seditiosi jamjam ad arma conclamabant, adeo,

adeo, ut officinas claudere necesse esset: **Sæcul. XVI.**
 insuper Claudius Aubragus tum Mer- **A.C. 1579.**
 catorum Præfectus unacum oppidanis
 Consulibus Senatum adiit, ubi rei fe-
 riam suæ Societati exposuit: itaque
 congregatis Curiis Augustinus Thuanus
 Historici Patruus regii Procuratoris
 nomine perorabat, mox vero Senatus
 decretum edidit, quo inhibitum, ne
 Episcopi, qui deputati erant, urbe exi-
 rent, sed illico coram regiarum caus-
 farum Cognitore compareant, ceteri
 vero Præsules, qui jamjam extra Pa-
 risiense territorium ad suas Diæceles
 reversi essent, eo loco, ubi eis hoc de-
 cretum annuntiari poterit, compre-
 hendantur: equidem Ordo Ecclesiasti-
 cus adversus hoc decretum acriter re-
 clamabat, tantam sibi injuriam inferri
 questus, verum Rex hujus rei cogni-
 tionem sibi vendicans Ordinis Eccle-
 siastici Deputatos consentire compulit,
 ut Præsules adhuc per aliud integrum
 decennium decimas Regi persolvere con-
 tinuarent, qua nova hac exactione po-
 puli indignatio quievit, ac seditio præ-
 pedita est.

§. XXV.

Stanislai Hofii Cardinalis obitus.

Francia cum hisce tumultibus agita- **Ciacon. vit.**
 retur, interim Stanislaus Hofius **Pontif. t. 3.**
 Cardi- **pag. 908.**

Sæcul. XVI. A.C. 1579. Cardinalis Warmiënsis Episcopus in Italia mortalitatem exiit. Is anno Domini millesimo quingentesimo quarto die octava Aprilis Cracoviæ in Polonia natus studiorum curriculo in sua patria confecto a suis Parentibus Patavium mittebatur, ubi Lazari Bonamici magisterio usus arctissimum amicitie foedus cum Renato Polo postea Cardinale inibat: inde vero Bononiam contendens, ac jurisprudentiæ vacans Doctoratus laurea decoratus est, atque in Poloniam reversus a Sigismundo Augusto gravissimis Regni negotiis præficietur, posteaque ad Culmensem Episcopatum ab eodem Rege nominatus, demum Warmiensem Ecclesiam obtinuit, quam nonnisi a Julio Papa compulsus acceptabat, atque usque ad extremum vitæ suæ diem retinebat, eamque regebat raris virtutum exemplis clarus; nam populum suum verbo, & opere ad pietatem animabat, atque eundem divini Verbi pabulo pascebat, & singulis diebus octo horas studiis, totidemque suæ diæcesis sollicitudini, ac negotiis impendebat: insuper ipsius quoque pauperes visum ibat, illosque largis eleemosynis sublevabat: præcipue vero hæreticos sibi devincire, eosque ad veræ Ecclesiæ sinum revocare intentus erat: itaque omnibus probi

Pasto-

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.

Pastoris partibus digne adimpletis a Paulo IV. circa annum Christi millesimum quingentesimum quinquagesimum octavum Romam accerseretur, ut in administrandis Ecclesie negotiis eidem Pontifici opem præstaret, unde in tot meritorum præmium jam tum Papa illum Romana purpura honorare meditabatur; verum pius hic Præsul ad summi Pontificis pedes provolutus eundem obsecrabat, ne illum ad acceptandam hanc dignitatem compellere vellet: postea tamen, cum Paulus IV. decederet, & Pius IV. ejusdem Successor Tridentinam Synodum prosequendi desiderio flagraret, Hosius ab eodem Pontifice ad Ferdinandum Cæsarem, & Bohemiarum Regem decernebatur, ut hos Principes ad comprobendam hujus Concilii continuationem inclinaret. Fertur, quod Ferdinandus Hosio adveniente surrexerit e folio, & in caput ejus incubuerit, ac lacrimans dixerit: *Gratia Spiritus sancti vobiscum est; spiritum Domini labia vestra moventem video, vera dicitis.*

Demum Pius IV., qui illius opera in Synodi negotiis uti decreverat, Hosio rubrum galerum Viennam in Austria exeunte Mense Februario anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo primo transmisit:

Hist. Eccles. Tom. XLIX. M m ve

Sæcul. XVI. verum Hosius rursus hanc dignitatem
A. C. 1579. deprecatus, & nonnisi a Papa iustus eam
 acceptabat, ac die vigesima quinta
 Martii in Festo Beatissimæ Virginis an-
 nuntiatae ab Archiepiscopo Strigoniensi
 Cardinalatus insignia accipiebat.

Evoluto bimestri ab eodem Pontifi-
 ce Legatus Apostolicus unacum Man-
 tuano, & Seripando Cardinalibus no-
 minabatur, moxque iter arripiens sum-
 mo mane nonnisi parco comitatu stipa-
 tus præter omnium expectationem stu-
 diose urbem ingrediebatur, ut pompam,
 honoresque Legatis exhiberi solitos in
 suo ingressu declinaret: Tridenti vero
 cum tanta sapientia, ac prudentia res
 moderabatur, ut absoluta Synodo lite-
 ris honoraretur, quibus Papa eidem
 verbis admodum honorificis summas
 rependebat gratias: attamen Hosius
 vix Tridentum veniens morbo correptus
 ab illo tempore nunquam pristinam sa-
 nitatem plene recuperabat, unde vi-
 gesimæ quartæ, seu sub Pio IV. octavæ
 Sessioni, in qua de clandestinis matri-
 moniis agebatur, interesse præpedie-
 batur, nihilominus circa hanc quæ-
 sionem suum trans mittebat suffra-
 gium, significans, quod ægre Synodi
 decisionem ratam haberet, cum illam
 præcis Canonibus adversari censeret,
 se tamen novis altercationibus neuti-
 quam

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.

quam ansam daturum inquiebat, ad-
 eo, ut Pontificis iudicio sese plene
 committeret, quod tamen suffragium
 oppido singulare videtur, eoquod au-
 thoritas Concilii superior esset Ponti-
 ficia. (*) Demum absoluta Synodo
 Hosius in Poloniam, ac Warmiensem
 Diæcesin suam reversus, ibidem a Pio V.
 Pii quarti Successore Sedis Apostolicæ
 Legatus creabatur: ast a Sigismundo
 Augusto Romam contendere iussus Mar-
 tinum Cromerum Virum suis elucubra-
 tionibus sat celebrem interea Episco-
 patus sui coadjutorem nominari voluit,
 ipse vero Romam versus pergens ibidem
 cum summo omnium applausu excipie-
 batur, ac demum post Pii V. obitum a
 Gregorio XIII. ejus Successore Major
 Pœnitentiarius nominatus est, quod mu-
 nus cum summo Religionis studio, at-
 que indefessa assiduitate obibat usque
 ad supremum vitæ suæ diem, qui erat
 quintus Augusti hoc anno post Chri-
 stum natum millesimo quingentesimo
 septuagesimo nono; obiit enim anno
 ætatis suæ septuagesimo sexto Capra-
 Mm 2 rolæ

(*) Scilicet in Ecclesiæ Gallicanæ sen-
 tentia, quæ tamen Universalis Ecclesiæ
 opinioni minus consona est.

Sæcul XVI. A.C. 1579. rolæ prope Romam, quo ad declinandos æstivos calores secesserat. Corpus ejus Romam translatum in Ecclesia sicut tulli ad sanctam Mariam Transtiberim terræ mandatum est: funebrem vero orationem habuit ejus popularis Thomas Treterus.

§. XXVI.

Hujus Cardinalis opera.

Haud immerito Hosius doctissimis accensetur Dogmaticis, quos illo ævo Christi Ecclesia alebat: scripsit enim cum ingenti facilitate, atque elegantia, sacræque scripturæ, ac Sanctorum Patrum textus eximio prorsus usu seligebat & ex Novatorum opinionibus sibi invicem repugnantibus dexterrime arma contra eosdem sibi comparare noverat. Ceterum ex ejus lucubrationibus primum opus complectitur fidei Catholicæ confessionem Augustanæ oppositam, ac seorsim Romæ anno a Virginis partu millesimo quingentesimo sexagesimo nono typis impressam: elucubravit etiam illorum, quæ Brentius confarcinavit, prolegomenorum confutationem quinque libris Colonix anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo editam, præter tractatum de Verbo Dei, ubi illos refellit, qui ad tuen-

tuendos suos errores sacris literis ab-
 utuntur, atque explanationem ab Ec-
 clesia receptam negligunt: insuper e-
 didit Dialogum de communione
 sub utraque specie, de connubio Sa-
 cerdotum, & de Missa in idiomate pa-
 trio celebranda, præter explicationem
 Salutationis Angelicæ: existat pariter
 ejus sententia, ac censura circa adoratio-
 nem Mysterii Sanctissimæ Triadis ad-
 versus Tigurinos, & Heidelbergenses
 Ministellos: cetera vero ingenii ejus
 monumenta posteris relicta sunt hæc.
 I. Tractatus de loco, & auctoritate Ro-
 mani Pontificis in Ecclesia, & Con-
 ciliis contra Orichovium. II. Liber
 de oppresso Dei Verbo. III. Ducentæ
 triginta duæ Epistolæ. IV. Orationes
 funebres pro Sigismundo I. & II. Polo-
 niæ regibus. V. Plures homiliæ la-
 tinæ, Germanicæ, & Polonicæ. VI.
 Apologia Aulæ, urbisque Romanæ ad-
 versus Politicos. VII. Dissertatio con-
 tra eosdem Politicos pro tuenda juris-
 dictione Episcopali, Ecclesiastica, &
 civili. VIII. Collatio veteris Ecclesiæ
 cum nostra. Porro horum operum non-
 nulla vivente adhuc authore triginta
 duabus omnino vicibus in præcipuis Eu-
 ropæ urbibus typis excusa, ac in omnes
 ferme usitatiores linguas translata fuere.
 Roscius Hosii vitam conscripsit, ac plu-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1579.

Sæcul XVI rimi Scriptores doctissimi amplis elo-
 A.C. 1579 giis hunc Cardinalem celebrarunt.

§. XXVII.

Lomellini Cardinalis mors.

*Ciaccon.
 pag 970.
 Foglietta in
 elog. Clar.
 Vir.*

Die vigesima sexta Julii eodem anno Benedictus Lomellinus ex nobili, & opulenta Genuensium familia anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo septimo natus extremum diem clausit. Hic in Canonice, & civilis jurisprudentiæ studio tam ingentes fecerat progressus, ut adolescentiam nondum egressus utramque disciplinam publice cum summa laude profiteretur: cum vero se pro majoribus, atque Ecclesiæ magis proficuis exercitationibus natum crederet, Romam contendit, ubi a Paulo IV. qui hujus Viri merita sibi perspecta habebat, Cameræ Apostolicæ Clericis accensus Carolus Cardinalem Caraffam in Belgium ad Philippum II. Hispaniæ Regem legatum, ut ei opera, & consilio adesset, comitatus est. Hunc Pius IV. summus Pontifex post Pauli IV. obitum in variis occasionibus seligebat, ubi Lomellinus semper tam rara singularis justitiæ, ac pro Religione studii sui specimina edebat, ut ab eodem Pontifice unacum aliis Mense Martio anno restauratæ Salutis millesimo quingentesimo

tesimo sexagesimo quinto purpura de-
corari mereretur, sub Gregorio autem
decimo tertio Meritianæ, Latiique le-
gatione functus est, ac demum præfuit
Episcopus Ecclesiæ Anagninæ, Albin-
timillensi, Lunensi, seu Zarzanensi,
cujus Ecclesiæ Sedes olim Lunæ erat,
postquam vero postremam hanc Eccle-
siam per quatuordecim annos rexerat,
anno ætatis suæ sexagesimo secundo
vixit ereptus, in Ecclesia sancti Gre-
gorii sepultus est.

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.

§. XXVIII.

*Franciscus Pacecus Cardinalis
mortuus.*

Hujus Purpurati mortem paulopost
sequebatur obitus Francisci Paceci,
qui vulgo Cerralvus dictus ex Joanne
Paceco Viro meritis, ac amplissima au-
toritate claro natus est, atque in exigua
Hispaniæ urbe, quæ civitas Roderici
inter Castellæ veteris, & Lusitaniæ fi-
nes sita dicitur, primam lucem aspexit,
dein vero in Italiam cum Petro Cardi-
nale Paceco patruo suo, sedente Paulo
IV. Pontifice se contulit, atque a Ferdi-
nando Toletano Albæ Duce, tunc Neapo-
litani regni, atque Italiæ Vicario, ob bel-
lum circa res Palliani inter Papam, &
Hispaniæ Regem exortum in Hispaniam
mittebatur: inde autem cum Romam

Ciac. p. 938.
Gabut. in
vita Pii V.
Aubery de
Card. Vi-
toriel ad
Ciacon.

Sæcul. XVI.

A C 1579.

venisset, negato a Pontifice alloquio Neapolim revocatur, qua in urbe commoratus est usque ad Pontificatum Pii IV., qui Franciscum anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo primo S. R. E. Presbyterum Cardinalem titulo primitus S. Sufannæ, & mox S. Pudentianæ, alias *Pastoris* renunciavit: porro paulo post protectionem Hispaniæ Regnorum suscepit, & defuncto Cardinale Francisco ubi dein Mendoza Burgenfis Ecclesiæ administrator evasit, quæ in ipsius gratiam Archiepiscopali dignitate aucta est, & in Synodo Burgenfi ab ipso celebrata anno Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo quinto statutum edidit, quo colentibus diem immaculatæ Virginis Conceptioni sacrum indulgentias concessit amplissimas. Ceterum quinque jam antea annis a Philippo II. Rege, ut sacrum fœdus cum Pio V., & Venetis contra Turcas iniret, tanquam Procurator regius nominabatur, postea autem ab eodem Pontifice ad titulum S. Crucis translatus, unus ex supremis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus deligitur, interfuitque Comitibus habitis pro electione Romanorum Pontificum, Pii V. & Gregorii decimi tertii, sub cuius Pontificatu Pacecus in Hispaniam reversus, ibidem hoc anno die vigesima

fima tertia Augusti Burgis morte præ-
 ventus obiit vulgo dictus Cardinalis
 Burgenlis.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1579.

§. XXIX.

*Epistola Pastoralis sancti Caroli Borromæi ad suam gregem contra
 Bachanaliolorum abusum.*

Interea sanctus Borromæus Cardinalis
 semper solito, ac continuato studio
 suorum Diæcesanorum salutem promo-
 vere adlaborabat, insuper habitis om-
 nibus, continuisque obstaculis, quæ
 a Governatore sibi opponi experiebat-
 tur: acrius autem illum idem vexabat
 ineunte hoc anno Domini millesimo
 quingentesimo septuagesimo nono, dum
 omnes sæculi genio indulgentes ad pro-
 fanas delitias Bachanaliolorum tempore
 consuetas sese accingebant; Guberna-
 tor enim festivos ludos, larvarum usum,
 ludricas decursiones, & pugnas eque-
 stres fieri decernebat, sanctus autem
 hic Præsul ejusmodi spectacula veræ
 pietati vel maxime adversa esse probe
 gnarus, ut ea exhiberi præpediret, pri-
 mo omnes lenitatis vias tentabat, prius-
 quam ad minas, censurasque progredi
 cogeretur, hinc die vigesima secunda
 Februarii Pastorem vulgavit episto-
 lam, in qua exposuerat, quantum ejus-
 modi publicæ dissolutiones periculose,

*Giuffan. vit.
 S. Caroli
 l. 5. c. 7.
 Godeau ib.
 l. 1. c. 24.*

Mm 5 vero-

Sæcul. XVI

A.C. 1579.

verorumque Christianorum moribus oppositæ essent, postea autem ibidem suam erga Deum ingratitude Me- diolanensibus objectans eis exprobrabat, quod de beneficiis, quibus eos Deus abunde cumulans, illos a pestilentia liberasset, ei a deo non debitas rependerent grates, sed insuper illum rursus ad vindictam provocare molirentur. Denique in suorum fidelium memoriam revocabat, quod sese in Baptismo obstrinxissent, quatenus omni dæmonis pompæ, profanis delitiis, & sæculi vanitatibus abrenuntiarint.

§. XXX.

*Sancti Caroli edictum adversus
spectacula.*

Giu. l. 6.

Quamvis sancti Caroli monita intellectu, ac quorundam corda intimo sensu penetrarint, nihilominus pii hujus Præsulis hostes exinde magis indurati in eum tumultuari cæperant, ac præprimis Gubernator nuperum sancti Caroli decretum indignatus decernere statuit, ut denuo pristinae corruptelæ, quæ prima die dominica verni jejunii committi solebant, innovarentur, cum autem id Synodi decreto per sanctum Cardinalem promulgato, atque ab Universa plebe recepto adversaretur, hinc Carolus Borromæus hæc

hæc Gubernatoris molimina edoctus Sæcul. XVI.
 Ecclesiæ disciplinam omnino integram A.C. 1579.
 insuperhabita Gubernatoris, & Magi-
 stratum oppositione servare statuit:
 eapropter Constitutionem edidit, in
 qua ex sacro Codice, Pontificum Bul-
 lis, sanctorumque Conciliorum præci-
 pue Tridentinæ Synodi Canonibus ex-
 ponebat, quanta sollicitudine Christiani
 festos dies sanctificare, ac vigente je-
 junii tempore ab omnibus publicis spe-
 ctaculis abstinere teneantur: postea e-
 jusmodi relaxationes indicta anathe-
 matis poena *ipso facto* incurrenda inhi-
 buit, adeo, ut ab hac censura solvendi
 facultas ipsi soli esset reservata: om-
 nes vero, qui ad ejusmodi spectacula
 operam suam conferrent, vel eisdem
 interessent, sacris interdicti existant.
 Porro hujus decreti severitas suo haud
 caruit successu: quivis enim sese in of-
 ficio continebat, solus autem Guber-
 nator vehementer irritatus hostes, quot-
 quot poterat, in sanctum Præsulem
 suscitabat, quinimo nonnullos etiam
 Concionatores adversus illum sollicita-
 bat, qui etiam hujus sancti Cardinalis
 mores, agendique rationem carpere
 præsumebant, unde inter illos quidam
 præ ceteris petulantior Inquisitoris jussu
 captus, ac carceri inclusus deinceps
 ad populum dicere prohibebatur. Hac
 causa

Sæcul. XVI. **A.C. 1579** caussa Romam evocata idem Præco
 professione sua Religiosus, cuius ta-
 men Ordinis alumnus fuerit, ignora-
 tur, ad sui instituti monasterium re-
 legatus est, ac sententia, qua ad populum
 dicere fuit prohibitus, confirmata ad
 plures annos extendebatur, absdubio,
 usquedum certa sinceri doloris signa
 ediderit, congruaque pœnitentia of-
 fensionem, quam populo dederat, re-
 paraverit.

Ceterum Carolus Borromæus,
 quamvis ubique graviter vexaretur,
 nihilominus novum erigebat institu-
 tum quarundam Virginum, quæ pri-
 mævam sanctæ Claræ Regulam pro-
 fessæ sese Deo consecrabant, earum-
 que conventus Mediolanensis hodie-
 dum vulgo vocatur Monasterium Ca-
 puccinarum ad sanctam Praxedem;
 hæ vero religiosæ sœminæ Episcopi
 jurisdictioni sunt obnoxie, ac viven-
 te adhuc sancto Carolo non sine ma-
 gno ipsius solatio hoc monasterium
 ingressa est quædam Comitissa sibi
 proxime sanguine juncta, cui nomen
 Corona: porro hæc Comitis Joannis
 Baptistæ Borromæi filia ibidem so-
 lemni sponsione sese Deo dicabat, ac
 vocabatur soror Helena.

§. XXXI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1579.*Quinta Mediolanensis Synodus a sancto Carolo celebrata.*

Cum jamjam a quarta Synodo Mediolani celebrata tertius annus effluxisset, sanctus hic Cardinalis hoc anno quintum Concilium cogere statuit, illudque ad diem septimam Mensis Maji indixit, edito hanc in rem diplomate die sexta Mensis Martii. Intererant huic Concilio æque, ac prioribus omnes Provinciæ Ordines præter quindecim Episcopos, qui hujus Synodi actis subscripti leguntur, illam vero Sanctus Carolus inchoabat præmissa oratione, in qua ejusmodi Conciliorum necessitatem, necnon insignia commoda exinde in Ecclesiam redundantia demonstrabat: absoluto autem hoc sermone prima habebatur Sessio, in qua de opportunis fidem conservandi, ac defendendi mediis agebatur. Ceterum hujus Concilii acta in tres partes divisa articulatim ea exhibent, quæ ad politicum Ecclesiæ regimen spectant, ac quidem in prima parte, postquam generatim ea, quæ ad utilem Ecclesiæ administrationem conducunt, explanata fuerant, in secundo articulo agitur de iis, quæ Verbi Divini prædicationem, & doctrinam Christianam concernunt, in tertio autem

*Labbe Coll.
Conc. t. 15.
p. 556.*

tem

Sæcul. XVI. tem designantur dies festi, necnon tem-
A.C. 1579. pora, quibus a servili opere vacandum:
 quartus articulus agit de votis:
 quintus de indulgentiis, sacrisque reli-
 quiis: sextus de Sacramentis in gene-
 re: septimus de Baptismo, octavus de
 confirmatione, nonus de Eucharistia,
 decimus de pœnitentia, undecimus de
 extrema unctiōe, ubi observatur, quod
 tunc, si Sacerdos ex incuria aliud præ-
 ter oleum infirmorum adhiberet, etiam si
 Chrisma, vel oleum Cathecumenorum
 foret, Sacramentum tamen adhibito in-
 firmorum oleo reiterandum, ac forma
 repetenda esset.

Altera pars differit de sollicitudine,
 qua pestis tempore infirmi sunt curan-
 di: insuper ibidem declaratio fit de
 cuivis munere tum exequendo, sive sit
 Episcopus, Parochus, simplex Sacer-
 dos, Religiosus, sive demum Magistra-
 tus, vel Paterfamilias, aut quiscunque
 alius: porro ibidem omnes admonentur
 ad animi firmitatem, & constantiam in
 ejusmodi occasionibus exhibendam, præ-
 cipue vero Episcopis iniungitur, ut sol-
 licite preces publicas perfolvi curent,
 & Metropolitanis, atque Episcopi Pro-
 vinciales sui Officii partes non negligant,
 moresque emendari studeant, atque
 infirmis sacram opem sedulo impendant,
 minime neglecto temporali subsidio:
 præ-

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

præterea iisdem præcipitur, ut nosocomia, locaque publica præparari satagant, in quibus cuncti morbo contagioso jamjam affecti ab illis, qui hujus mali periculo necdum sunt infecti, aut ab hoc morbo convalescunt, separari queant: denique etiam mentio injicitur de cautelis, quarum ope grassantis luis violentia fitti posset: nec prætermissa est sollicitudo, qua Sacerdotes Sacramenta administrantes se a contagionis periculo præmunire debeant. His expolitis articulatim recensentur ea, quæ in utriusque sexus Monasteriis hoc malo infectis observanda veniunt, simulque Matrum hoc morbo laborantium infantes Baptizandi modus præscribitur; insuper habetur sermo de Confratrum charitatis operibus, de collectione Eleemosynarum, earumque distributione, de divino officio in ædibus tam publicis, quam privatis ad pestiferorum levamen destinatis peragendo, necnon de instructione ipsis propinanda, ac demum de agendi ratione, quam Parochi, & Sacerdotes hac in occasione tenere deberent: denique nihil prætermissum est eorum, quæ in ærumnoso hoc tempore agenda sunt. Hæc pars clauditur præscripta mortuos sepeliendi cura, iisque annotatis, quæ extincta peste observanda sunt: enimvero nemo
 alius

Sæcul. XVI
A.C. 1579.

alius magis exacte de hoc argumento differere poterat præter sanctum Carolum Borromæum, qui longam, ac perdifficilem illius experientiam ipse hauserat.

Tertia pars complectitur ea, quæ Sacramenta Ordinis, & Matrimonii concernunt, ubi seminariorum utilitas exponitur, ac de eorum redditibus, & de examinadoribus agitur, simulque præscribitur, qua ratione hi sese erga examinandos pro sacris Ordinibus gerere debeant: ubi etiam indicantur doctes in initiandis requisitæ, præter cetera omnia, quæ honestam vitam, ac probos Clericorum mores, necnon beneficiorum collationes respiciunt, ubi etiam annotatur Divinum Officium rite celebrandi modus, præcipue circa sanctæ Crucis adorationem in die Parasceves. Denique declaratur modus faciendi distributiones, agiturque de residentia, suppellectili, & Ecclesiarum redditibus, necnon de iis, quæ Synodos, Clericorum conventus, & visitationes spectant: præterea pertractatur etiam de Episcopo, ejusque jurisdictione in foro contentioso, de Procuratore Fiscalis Episcoporum, ac de Notariis, eorumque taxatione, atque aliis, quæ gratis expedienda sunt: dein transitus fit ad Sacramentum Matrimonii, in quo

quo exacte legum Diæcesanarum custo- Sæcul. XVI.
 dia tam circa denuntiationes, quam af- A. C. 1579.
 finitatis gradus, & impedimenta exigi-
 tur. Ad calcem horum decretorum fit
 mentio de Scholis, sodalitatibus, piis,
 sacrisque locis, & Monialibus: tandem
 eorum omnium, quæ in his Constitu-
 tionibus continentur, exacta observan-
 tia commendatur, pluraque alia legun-
 tur statuta prioribus Conciliis addita,
 quin tamen ab ordine, ac methodo in
 ceteris Synodis servata recederetur.

§. XXXII.

*Translatio Corporum sancti Nazarii,
 aliorumque Sanctorum.*

Postquam sanctus hic Archipræsul hac Giuss. l. 5.
 ratione quintam suam Synodum ab- c. 9.
 solverat, plurium Episcoporum, qui
 ejus suffraganei erant, præsentia uti
 decreverat, ut cum majori solemnitate
 sancti Nazarii Martyris, aliorumque
 Sanctorum corpora ad Ecclesiam sub in-
 vocatione hujus Sancti erectam, quæ
 olim Apostolorum Basilica dicebatur,
 Divi tamen Ambrosii ætate nomen suum
 mutabat, transferre posset: cum enim hu-
 jus Collegiatæ Ecclesiæ Canonici illam
 juxta quoddam decretum a sancto Ca-
 rolo in sua visitatione conditum repara-
 re, atque exornare statuissent, Sancto-
 rum, qui ibidem requiescebant, cor-
Hist. Eccles. Tom. XLIX. Nn pora

Sæcul. XVI.
A. C. 1579.
pora submovere oportebat, ubi sancti Nazarii Corpus in quadam marmorea tumba, quæ durissimo saxo contacta erat, terræ immersum reperiebatur, simulque aliorum quorundam Sanctorum Archipræsulum Mediolanensium ossa detegebantur, quæ omnia sanctus Carolus in lipsana affabre elaborata recondi, atque per urbem in solemnibus supplicationibus circumferri, & demum ad majorem Ecclesiæ Aram reponi jussit: insuper sancti Fidelis corpus ad Ecclesiam nuper a Jesuitis constructam transferri voluit, ubi etiam sanctus hic Archipræsul primo sacris operabatur, ac demum quasdam ædes exstrui curabat pro puellis, ac mulieribus, quæ antea solutiori vitæ indulgentes relicta nefanda consuetudine pœnitentiam agere decernerent. Hæc domus vulgo depositum nominabatur, ac dotationis suæ diploma Mense Julio hujus anni datum est.

§. XXXIII.

Nuntius Apostolicus sancti Caroli opera ad Helvetios, & Grigiones decretus.

Ans. 6. 12. Cum sanctus Archiepiscopus suas visitationes prosequi per pestilentiae vehementiam præpediretur, paulo post absolutam suam Synodum Diœceses lustrare

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

strare parabat, ac præprimis Vigleba-
nam visitans nil eorum prætermittibat,
quæ ad gregem suum in Dei amore in-
flammandum conferre possent, quapro-
pter ipse singulis ferme diebus Verbum
Divinum annuntiabat, atque in Sacra-
mentorum administratione assiduus abo-
levit omnes corruptelas, præscriptoque
divini officii modo prudentissima æque,
ac saluberrima condidit statuta: cum
vero gravissimis ex causis Mediolanum
reverti cogeretur, summum Pontificem
impense rogabat, ut pro reliquis Diæ-
celibus Laudensi, Vercellensi, Comensi,
aliisque Visitatores Apostolicos nomi-
nare velit: insuper eo quod idem hic san-
ctus religionem Catholicam apud Hel-
vetios, ac Rhætios, seu Grifones re-
staurari ardentissimis votis desideraret,
hinc summis precibus eundem Papam
obsecrabat, ut ad hæc regiones etiam
Nuntium Apostolicum decerneret, singu-
lari munitum facultate, vi cujus sacro-
harum ditionum regimini invigilare,
illas lustrare, cunctaque statuere va-
leat, quæ ad Dei gloriam, & anima-
rum, quæ ibidem penitus derelictæ
erant, salutem necessaria fore censebit:
igitur Gregorius XIII. ad sancti Præsu-
lis preces hanc curam demandabat Jo-
anni Francisco Bonhomini Novarrensi
Episcopo, qui plusquam integrum bien-
nium

N n 2

nium

Sæcul. XVI
A. C. 1579.

nium in sacra hac expeditione impendens ad hujus gentis salutem, atque emendandos Clericorum mores plurimum conferebat, ubi suam etiam impendit operam, ut Tridentina Synodus apud Catholicos Helvetiorum Pagos reciperetur: porro ab illo temporis articulo summus Pontifex semper Helvetios Nuntii Apostolici præsentia honorabat, sanctus vero Carolus hoc anno pro illa Natione Collegium exstruxit, illudque amplis proventibus dotari curavit.

§. XXXIV.

Mediolanensis Gubernator sancti Archiepiscopi nomini labem Romæ aspergere machinatus.

Giuss. l. 6.
c. 1.

Interea Gubernator adhucdum contra sanctum Archiepiscopum exacerbatus, suos amicos, quos Romæ numerabat, instigare pergebat, ut sanctum Virum summo Pontifici, sacroque Purpuratorum Collegio exosum redderent, eumque tanquam Virum prudentia, sanoque judicio destitutum traducerent: enimvero hæc calumnia, quamvis veritati omnino dissona, apud quosdam tamen Curie Romanæ Præsules fidem obtinebat, quapropter nonnulli quartam illius Synodum, quam tum a sacra Sede confirmandam Theologi examina-

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

minabant, esse rejiciendam, cunctaque illius decreta etiam saluberrima omnino supprimenda suadebant, atque alii etiam contendebant, periculosum esse, si tam ampla huic Archiepiscopo potestas concederetur: nonnulli pariter sancti Caroli studium, quod pro restauranda Ecclesiæ disciplina exerebat, temeritatis arguebant: nec magis benigne Mediolani de Borromæo sentiebant prohibitatis osiores, ex quibus nonnulli spargebant, quod Hispaniæ Rex Romæ suo Oratori præcepisset, ut Carolum a suo Archiepiscopatu amoveri a Papa peteret, Mediolanensis vero Gubernator illum tanquam turbidæ indolis Virum, ac tumultuum, & dissensionum Auctorem urbe etiam vi abigeret: insuper passim divulgabatur, quod Carolus, cum abs dubio Romæ comparere compelleretur, eo delatus inde Mediolanum reverti nullatenus permetteretur. Hi rumores quantumvis falsi, ac non nisi per summam malitiam excogitati populum aliunde primævo naturæ vitio credulum, & ad solutiorem vitam propensum ad facinora plurimum funesta impellebant, resque eo devenerant, ut populus ab omni pænarum metu liberatus crederetur, dummodo eidem Pastoris sui in exilium amandandi spes fieret; quippe ab illo momento idem

N n 3 im-

Sæcul. XVI. impune ruptis omnibus modestiæ re-
A.C. 1579. pagulis sese omnis generis voluptati-
 bus, ac licentiis mancipabat, cunctas-
 que, sanctissimas licet, Ecclesiæ leges,
 & statuta deridere cernebatur.

§. XXXV.

*Sanctus Carolus Romam pergere pa-
 ratus.*

Giuff. l. c. Sanctus Carolus, quem non falsi hi ru-
 mores, sed maxime vitia inde pul-
 lulantia affligebant, ipse Romam con-
 tendere statuit, suamque Sororem in-
 visurus, resque domesticas plene com-
 positurus Mantuam perexit: inde vero
 per Camaldulensium Eremum inter E-
 truriam, & Romandiolam Apenino
 monti impositam iter instituit, atque
 ibidem aliquamdiu substitit, cum his-
 ce Monachis ferventius rerum divi-
 narum contemplationi vacaturus: suos
 autem domesticos ad Lauretanas ædes
 præmittens nonnisi Monetam, quem ab
 epistolis habebat, secum retinuit: attamen
 quamprimum sanctum Archipræ-
 fulem ad Camaldulenses secessisse, Me-
 diolani innotuerat, mox illius hostes
 spargebant, quod desperatione impul-
 sus Eremitam induere velit: verum ille
 paulo post inde discedens in itinere ad
 sacras Lauretanas ædes contendit, ibi-
 demque die Beatissimæ Virgini in lu-
 cem

cem editæ sacra celebrato Missæ Sacri-
ficio Romam petiit, ubi cum ejus ad-
ventus jamjam annuntiatus esset, plu-
res Cardinales, Prælati, ac Proceres
eidem obviam processerant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

§. XXXVI.

*Sanctus Carolus Romam delatus, at-
que a Papa exceptus.*

Sanctus Archipræsul prope Ecclesiam
sanctæ Praxedis, cujus titulum
gerebat, diversabatur, altera die san-
cti Petri Basilicam pie lustratu-
rus: verum summus Pontifex, qui
tum Tusculi agebat, illius adventum
edoctus eum accersiri jussit, illumque
haud vulgaribus amicitæ, ac benevo-
lentæ signis exceptum in sui palatii cu-
biculo Papæ Nepotibus destinato mo-
rari voluit, ubi etiam sanctus Cardina-
lis octo diebus perstitit, totoque hoc
tempore de Diæcesis suæ statu sum-
mum Pontificem plene edocuit, suam-
que agendi rationem, necnon obstacula,
quæ restaurandæ disciplinæ objiceren-
tur, integra fide exponebat, atque hostes,
illorumque, qui piis ejus conatibus ob-
sistunt, rationes, ac studia manifesta-
bat: his perceptis summus Pontifex se
eidem potenter adfuturum spondit,
ipsumque quartam illius Synodum exa-
minandam suscepit, ac per integram Se-

*Giuss. c. 2.
Bascapè &
Ripamont.
in vita S.
Caroli.*

Nn 4

pti-

Sæcul. XVI.
A. C. 1579

ptimanam singulis diebus quatuor horas huic labori impendens cuncta decreta adeo considerata, pia, & honesta esseprehendit, ut eadem æque, ac quintam Synodum, cujus acta pariter approbanda sanctus Cardinalis studiose secum attulerat, auctoritate Apostolica quantocius confirmaret: insuper Papa iussit Sanctum Carolum, quamdiu Tusculi moraretur, semper suæ mensæ assistere, & mane illius Missæ quotidie interesse voluit: postquam vero sanctus Archipræsul Tusculo Romam revertebatur, nominis sui fama tam late se diffundeat, ut populus turmatim confluens sibi ab eo bene precari efflagigaret, eumque ad omnes Ecclesias comitaretur, quatenus ipsius Sacrificio missæ interesse, sacramque Synaxin per ipsius manus recipere valeret: porro ipse larga manu eleemosynas erogabat, cunctisque, quibus difficilis ad Papam accessus erat, suam operam eo majori sollicitudine impendebat, quo illi magis pauperes, omnique ope destituti erant: insuper plures Italiæ Episcopi circa difficultates in suo Ministerio occurrentes huius sancti Archiepiscopi consilium expetebant, quibus omnibus æquali promptitudine satisfacere conabatur, ac singulari benignitate, & modestia cum Cardinalibus suis Sociis agebat, illosque

que sibi devinciebat: denique per quatuor illos Menses, ac quindecim dies, quibus Romæ moram traxerat, tam amplum, prout desideraverat, temporis spatium nanciscebatur, ut de omnibus ad Ecclesiæ Universalis, ac speciatim Mediolanensis utilitatem, salutemque necessariis libere cum summo Pontifice agere potuerit: demum vero pro suo Seminario, ac Helvetiorum Collegio ampla privilegia ab eodem Papa impetrabat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

§. XXXVII.

Varia Gregorii XIII. Papæ Constitutiones.

Die tertia Julii Gregorius XIII. ad Fratres Minores sancti Francisci de strictiori observantia Constitutionem direxit, in qua Novitiis hanc reformationem professis præcepit, ut in eodem instituto perseverarent, atque sine speciali sacræ Sedis licentia ad Fratres de Observantia neutiquam transfirent, nisi tanquam Apostatæ castigari velint, quam in rem Papa Bullam Clementis VII. innovabat: insuper idem Pontifex alio diplomate die vigesima octava Junii sodalitatem, quæ a pietate nomen habet, pro captivis Romæ instituit, multasque indulgentias illis concessit, qui hosce miseris visitarent, solatio recrearent,

Bull. t. 2. p.
460. Const.
55. 56. &
57.

Nn 5 eis-

Sæcul. XVI
A.C. 1580

eisque Eleemofynas erogarent. Tertia Constitutione die prima Octobris pro Jesuitis data ratam habuit facultatem, vi cuius ad celebrandum Missæ Sacrificium, & administranda Sacramenta Altari, ut vocant, portatili in Apostolicis suis expeditionibus uti possent, etsi Concilii Tridentini decretum, aut quodvis aliud statutum adversari videretur. Denique die decima sexta Decembris idem Gregorius Bullam edidit, qua præcepit, ut omni triennio Generalis, ceterique Superiores in Congregatione Canonico-regularium Sancti Salvatoris ex Ordine Sancti Augustini eligerentur: porro hoc diplomate confirmata est alia ejusdem Pontificis constitutio die vigesima tertia Martii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto edita.

§. XXXVIII.

Dissensio inter Papam, & Venetos circa visitationem.

*Spond. annal. n. 18.
Mauroten. l. 12.*

Anno sequenti millesimo quingentesimo octogesimo inter Gregorium XIII, & Venetos ingens controversia exorta est, occasionem præbente generali Ecclesiasticorum, & Religiosorum visitatione, quam idem Pontifex per universam Italiam decreverat: cum enim id a Borromæo Mediolani, Bononiæ a Camillo Pal-

Palleotto Cardinalibus, ac Florentiæ quoque, & alibi jam factum esset, id ipsum etiam Joannes Trivifanus tum Patriarcha Venetus juxta aliorum exemplum facere parabat, eaque de re Senatam, cujus Princeps tum erat Nicolaus de Ponte, rogabat, ut id muneri in Reipublicæ ditionibus obire posset, tribus ei Senatoribus assignatis: verum Papa, cum aliunde hic Patriarcha de variis criminibus insimulatus esset, hanc curam ei committi noluit, haud æquum reputans, quod ipse in propria sua causa judex foret: quapropter hanc rem Alberto Bologneto Legato suo ad Rempublicam misso commisit, socios ei addens duos Venetos Episcopos, Augustinum Valerium Veronæ, & Hieronimum Ragazzonium Bergomi Antistitem.

Senatus existimans haud suetum esse, quod quædam Diæcesis ab aliis, quam proprio Antistite visitaretur, cum ipsi soli illius cura esset commissa, hinc sese Pontificis inhibitioni opponebat, nec hoc munus a Patriarcha exerceri permisit (*). Credebant equidem nonnulli, quod Pontifex a sua sententia recede-

(*) Perinde ac si sacri Canones non æque præscriberent, quod Patriarchæ, & Metropolitanæ suas Provincias visitarent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.
cedere deberet, cum id æquitas, atque Ordo a sacris Canonibus præscriptus exigere videretur, nihilominus a priori suo consilio ægre dimovebatur, unde per aliquot Menses controversiæ, quas tamen nunquam fuisse suscitatas æquius fuisset, fervebant, tandem vero, ne hujusmodi dissidium in apertas inimicitias erumperet, ea ratio utrinque inita est, ut Gregorius Papa unum tantum Venetum Antistitem, qui hanc visitandi provinciam obiret, deligeret, isque nec laicorum collegiis sese immisceret, nec cœnobia Virginum adiret, porro id munus delatum fuit a Papa prædicto Augustino Valerio natione Veneto, Veronensi Episcopo.

Annal Greg.
Victorel. in
add. ad Ciac. Postea ut Maronitæ de Monte Libano in suo erga Ecclesiam Romanam studio magis firmarentur, idem Gregorius XIII. hoc anno ad illos largas admodum eleemosynas per Joannem Baptistam Ælianum, & Joannem Brunonum Jesuitas deferri jussit, simulque transmisit Catechismum arabico idiomate conscriptum præter alios libros, & Ecclesiæ ornamenta. Hæc dona Maronitæ in publico Episcoporum, & Presbyterorum confessu recipiebant; hi enim Præsules pro eligendo Patriarchatum convocati, defuncti Patriarchæ fratrem elegerunt, hic vero pariter fidei
Ca-

Catholicæ professionem emittens sese illis adjugebat, quos Papa ad imbuendos Maronitas submiserat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

§. XXXIX.

Toletus Lovanium delatus, ac Pontificis diploma Facultati exhibens.

Interea Toletus Jesuita, cui Gregorii XIII. Bulla contra Bajam, ut memoravimus, deferenda comittebatur, Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo ineunte Mense Martio Lovanium pervenit, ut per hoc diploma Pontificis mentem Facultati manifestam redderet. Hic idem paulopost accersito ad se Bajo Facultatis Decano hæc seorsim eidem declarabat: „habeo suæ „Sanctitatis literas ad Facultatem nostram datas, quas tibi tradere, simulque legationis meæ causam aperire „cupio: peto itaque, ut cunctos Professores, Licentiatos, Baccalaureos, „omnesque Facultatis socios ad certum „aliquem diem, & horam convocet: „Postridie, seu die decima nona Martii una omnes per bedellum sub juramento ad horam secundam post meridiem comparere jussi in Collegio Societatis Jesu, ubi præfatus Pater Toletus hospitio exceptus erat, convenere, & cubiculum ejus ingressi, cum post multas salutationes omnes confedisent, protulit idem Pater

Breve

Bajan. p.

188.

Acta Facult.

Lov. ab ann.

1570.

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

Breve Apostolicum ad Doctores Theologos Universitatis Lovaniensis inscriptum, quo omnibus injunctum, ut fidem adhibeant iis omnibus, quæ ex Sedis Apostolicæ nomine Toletus eis esset dicturus. Decanus accepto hoc diplomate illud alta voce prælegit, quo finito idem Jesuita ita perorabat: „re-
„cordabuntur absque dubio omnes,
„quotquot in hoc loco sunt præsentés,
„quomodo ante annos aliquot (*) Bulla
„quædam, in qua certi articuli dam-
„nabantur, a felicis recordationis Pio
„V. emanarit, eaque data legatur an-
„no millesimo quingentesimo sexagesi-
„mo septimo Calendis Octobris, quæ
„fuit quoque in scholis Theologicis Lo-
„vanii publicata, ubi nonnulli arti-
„culi Ecclesiæ doctrinæ minus consoni
„damnati fuere: porro cum sua Sancti-
„tas Gregorius XIII. existimaret, huic
„Bullæ reverenter ab omnibus, ut par-
„erat, obediri, ad ipsius aures a fide
„dignis perlatum est, non deesse inter
„Theologos, non modo studiosos, sed
„& Professores, qui articulis in præfa-
„ta Bulla damnatis audeant adhuc ad-
„hærere, eisque non privatim tantum
„favere, sed coram aliis quoque eos-
„dem

(*) Hæc Bulla edita fuit die prima Octobris an. 1567.

dem asserere, & pertinaciter defendere, adeo, ut persuasum non paucis sit, præfatam Bullam etiam ab ipsa Sede Apostolica aliquando retractandam esse, & revocandam: porro hoc audito Sanctitas sua non exiguo animi dolore affecta pro officii sui ratione, simulque pro charitatis affectu, quem gerit erga Lovaniensem Academiam, in primis autem erga S. Theologiæ facultatem, non potuit eam quorundam temeritatem, atque audaciam ad totius etiam Ecclesiæ periculum pertinentem contemnere, atque dissimulare, neglectimque habere, quare ad coercenda hujuscemodi ingenia, simulque ad eximendam vanam illam istorum futuræ aliquando retractationis spem, ac expectationem Sanctitas sua statuit præfatam Pii V. Bullam sua quoque auctoritate confirmare, articulosque ibidem comprehensos iterato damnare, ac sub gravibus pænis, & censuris prohibere, insuper, ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem, ac sententiam ignorare possit, suam hanc confirmationis Bullam, in qua altera illa Pii V. comprehensa est, in scholis hic Theologicis coram omnibus publicandam, & promulgandam esse, atque ab omnibus Professoribus, & studiosis S. Theologiæ

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

Sæcul. XVI. „logiæ requirendum censuit, ut pro-
 A.C. 1580. „pria confessione eam se reverenter ac-
 „cipere fateantur, eique se subjecturos
 „promittant „

His dictis Toletus protulit Bullam Gregorii XIII, de qua dixerat, ejusque inspiciendi facultatem cunctis præbens, Magistris, ac Professoribus, ut desuper deliberarent, injunxit: hoc facto addebat, se in hoc a sua Sanctitate per maxima itineris pericula non sine gravissimis sumptibus, & expensis missum fuisse, ut mox proposita exequeretur, atque ad effectum perduceret: igitur a se optari inquebat, ut a Facultate certus dies, & hora indicetur, qua omnes tum Professores, tum Licentiati, & Baccalaurei, ceterique S. Theologiæ studiosi ad scholas Theologicas convocarentur, quatenus ea, quæ in mandatis habebat, exequeretur.

§. XL.

Bulla Facultati congregatæ a Toletis exhibita.

Postea Bajus paucis verbis suam apologiam reiteravit, eoque recedente Decanus Facultatis nomine suæ Sanctitati pro paterna erga suam filiam charitate, & sollicitudine gratias egit: quod autem ad Bullam ejus attinet, eam se gratissime, & obedientissime, uti par est,

est, recipere, & amplecti respondit, Sæcul. XVI.
A.C. 1580.
oravitque, ne Papa sinistram aliquam
de ipsa suspicionem concipere velit, ne
ve sibi persuadeat aliam ei unquam
mentem, & voluntatem fuisse erga
Bullam Pii V. quin & illam semper re-
verenter habuerit, eique in omnibus
paruerit.

Hanc in rem constituebatur pro Fa-
cultatis confessu vigesima prima Martii
dies, horaque decima ante meridiem,
in quod tempus ex mandato Facultatis
jussit Decanus per bedellum omnes, &
singulos Facultatis Doctores, pleros-
que Licentiatos, Baccalaureos, & quot-
quot supererant, Collegiorum bursarios
sub juramento convenire, quibus ibi-
dem frequentissimo numero congrega-
tis, ingressus est Toletus, comitantibus
eum honoris causa Bajo Cancellario,
Goudano, & Henrico Gravio: conscen-
sa autem cathedra cum eadem fere nar-
rasset, quæ prius ante biduum co-
ram Facultatis Professoribus dixerat,
Conrado Sylvio Universitatis Notario
publico, qui ad hoc ibi vocatus ade-
rat, injunxit, ut recitaret literas pri-
mum testimoniales ad S. Theologiæ
Doctores datas, & deinde ipsam novam
Pontificis Bullam clara voce, ut ab
omnibus intelligi posset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

§. XLI.

Gregorii XIII. Bulla a Bajo, ceterisque Doctoribus recepta.

*Bajan. t. 2.
p. 189. 206.*

His prælectis Toletus convertit sese ad Michaellem Bajum Universitatis Cancellarium, petiitque ex eo, an cognosceret in ea Bulla multos articulos damnari, qui in libellis quibusdam ab eo prius editis continerentur, etiam in eo sensu, quo in Bulla damnarentur? quo agnoscente, & respondente, quod huic rei veritas subesset: rogavit ex eo deinde Toletus, utrum eosdem, & reliquos omnes ibi comprehensos, & lectos damnaret: „tum ille, damno, inquit, secundum Bullæ ipsius intentionem, & sicut Bulla eos damnat.“ His factis præfatus Franciscus Toletus ad reliquos Theologiæ Doctores conversus interrogabat, an eosdem articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter susciperent, porro illi omnes uno ore responderunt, quod eos articulos omnino damnent, ac spondeant, se Bullam religiose habituros, & observaturos. Eadem fuit vox omnium Licentiatorum, Baccalaureorum, & studiosorum, nam omnes consona voce conclamarunt: *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur:* quibus feliciter peractis
Bajus

Bajus Cancellarius de copia Bullæ, ut hæc relinqueretur, mentionem suggestit. Ad quod respondit præfatus Franciscus, quod sibi in mandatis haud sit datum, ut copiam ejus hic relinquat, interim spondit, acturum se apud suam Sanctitatem, mox ubi Romam redierit, ut ea transmittatur. Post hæc cum Toletus congregatos ad obedientiam Sedis Apostolicæ, & mutuam concordiam paucis esset cohortatus, quemque dimisit.

Ut tamen totum opus perficeretur, necessarium fore duxit, ut Bajus solemniter errores suos revocaret: itaque sæpius hac de re cum eo seorsim contulit, illique præprimis exprobravit, quod suis discipulis propositiones perperam a Pio V. esse damnatas clam suggesterit, eisque contra hujus Pontificis Bullam ingens odium instillaverit. Ad hæc respondit Bajus, quod in hac re nullius culpæ se reum existimet, si vero Cornelius Reinerius, Goudanus, & Henricus Gravius, quos falsæ hujus accusationis auctores credebat, illum coram Judicibus minime suspectis ex legum præscripto convincere possint, quasunque pænas se subiturum spondit: cum autem nemo in judicio ea, quæ contra hunc Doctorem sparsa fuissent, asserere vellet, Toletus de ejus inno-

Sæcul. XVI.
A. C. 1580.

Sæcul. XVI
A.C. 580. centia persuasus videbatur, imo ipse-
met eidem pollicitus est, quod ejus ho-
norem, quem alii labefactare studuis-
sent, apud Romanum Pontificem repa-
rare, imo & efficere vellet, quatenus
Gregorius XIII. ipsemet quantocius Re-
gi Hispaniarum in Baji gratiam ita scri-
beret, ut de Bajo male præconcepta
sententia e Regis animo penitus dele-
retur: quinimo Baji amici spargebant,
Toletum declarasse, quod librorum ab
hoc Doctore scriptorum lectio non esset
prohibita, prout legitur in epistola, quam
quidam Licentiatus ad Franciscum Son-
nium Sylva-Ducensem Episcopum de
colloquio Toleti cum Bajo perscripserat:
verum cum hæc solido testimonio desti-
tuta sint, veritatis similitudinem nequi-
dem obtinent.

§, XLII.

*Fidei confessio Toleti jussu a Bajo
subscripta.*

Bajana p.
152. & 207. Interea Toletus ad Sedis Apostolicæ
honorem plurimum conferre est ra-
tus, si Bajus scripto fateretur, quod
plures articulos in Bulla recensitos in
eo sensu, in quo ibidem damnantur,
docuerit, hinc illum urgebat, ut rem
ita profiteretur in quadam fidei con-
fessione ipsi a Toleto exhibita. Annuit
Bajus, ac die vigesima quarta Martii
sub-

subscripsit huic professioni his conceptæ
 verbis: „Ego Michael de Bajo, Can-
 „cellarius Universitatis Lovaniensis, &
 „in eadem Professor sacræ Theologiæ,
 „agnosco, & profiteor me ex variis col-
 „loquiis, & communicationibus habitis
 „cum R. P. Francisco Toletto, Concio-
 „natore suæ Sanctitatis, & ad hanc
 „rem specialiter misso, super diversis
 „sententiis, & propositionibus jam olim
 „a sanctissimo Domino nostro Pio V. feli-
 „cis recordationis sub data calendis Octo-
 „bris atque anno millesimo quingentesi-
 „mo septuagesimo nono, iterato damna-
 „tis, & prohibitis ita motum, & eo per-
 „ductum esse, ut plane habeam mihi
 „persuasum earum omnium sententia-
 „rum damnationem, atque prohibitio-
 „nem jure, meritoque, ac nonnisi ma-
 „turo judicio, ac diligentissima discuf-
 „sione præmissis factam, atque decre-
 „tam esse: fateor insuper plurimas ex
 „iisdem sententiis in nonnullis libellis
 „a me olim, & ante emanatam Sedis
 „Apostolicæ super eis censuram con-
 „scriptis, & in lucem editis contineri,
 „& defendi, etiam in eo sensu, in quo
 „reprobantur: denique declaro, me
 „impræsentiarum ab iis omnibus rece-
 „dere, & damnationi a sancta Sede fa-
 „ctæ acquiescere, neque posthac ullam
 „earum docere, aut defendere velle.

Sæcul XVI.
 A C 1580.

Sæcul. XVI. „Actum Lovanii die vigesima quarta
 A.C. 1580. „Martii, anno millesimo quingentesi-
 „mo octuagesimo.

Michael de Bajo.

§. XLIII.

Pontificis diploma Bajo traditum.

Baji p. 153. **T**oletus itaque, cum Baji pertinaciam
 fregisse lætaretur, discessum para-
 bat, priusquam vero Lovanio excede-
 ret, Bajus eidem epistolam ad Pontifi-
 cem deferendam tradidit, in qua eidem
 exposuit, quantas calumnias duodecim
 abhinc annis sustinisset occasione dam-
 natorum hujusmodi articulorum, de
 cetero autem se cuncta Dei, supremi
 Judicis, committens arbitrio plene com-
 missurum dicebat, cum jamjam ad cæle-
 stem patriam, ubi veritas plena in ma-
 gna illa die elucescet, peregrinari me-
 ditetur, totusque ejusmodi cogitatio-
 nibus absorptus sit: dein pro sollicitu-
 dine Lovaniensi Scholæ exhibita Pon-
 tifici grates referens, eundem rogabat,
 ut ipsi diplomatis exemplar transmit-
 tere velit. Acceptato hoc Baji nego-
 tio Toletus confestim Romam con-
 tendit, suisque promissis integra fide
 satisfecit, quippe Gregorius XIII. die
 decima quinta Junii eodem hoc anno
 Bajo respondit, misso sequenti diplo-
 mate, cujus inscriptio hæc erat: *Di-*
lecto

lecto Filio Michaeli Bajo, Cancellario Sæcul. XVI.
A.C. 1580.
Universitatis Lovaniensis, & in eadem
Sacrae Theologiae Professori.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Mittimus exemplum publicum Literarum sanctae memoriae Pii V. quas tum per literas, tum per dilectum filium Franciscum Toletum postulasti: quicquid autem acciderit, in quo possimus tuae charitati gratificari, nunquam commitemus, ut ullum a nobis amantissimi parentis munus desiderari possit, hocque certum te habere volumus: te quoque vicissim tuae pietati, optimique filii officio, summæque bonorum omnium expectationi omnibus in rebus cumulatissime satisfacturum esse persuasum habemus: quo nomine omnem tibi a Domino Deo nostro tum in hac, tum in futura vita felicitatem precamur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima quinta Junii, anno millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus nostri anno nono.

§. XLIV.

Pii V. Bullæ exemplar Bajo traditum.

Hoc diploma unacum Bullæ exemplari Toleto deferendum commitebatur, ac sub idem tempus Pontifex Lovaniensis Universitatis Doctoribus

*Bajar.
pag. 190.*

O o 4 duo

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

duo aureorum millia numerari iussit, qui inter eos diviti fuere, ut damna a foederatorum copiis, in Belgio, ac præcipue in hujus Urbis territorio illata compensare possent. Ceterum eodem anno die quarta Mensis Augusti, cum Facultas in Templo Divi Petri post vespers convocata esset retulit Doctor Goudanus, quod binas literas ex Urbe acceperit, quarum primæ a R. P. Francisco Toletio, alteræ vero a Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Cardinale Sabellio ad ipsum scriptæ essent, quibus significatum, quod Bulla Pii V. transmitteretur, addito mandato, ut eadem Michaeli Bajo Doctore tradere- tur: itaque perlectis binis hisce literis Goudanus Bullam Bajo tradidit, qui pariter Pontificis epistolam ad se per- scriptam mox perlegit. Peractis hisce omnibus, Bajus Bullam restituit, ejus- que exemplar cum authographo per Fa- cultatis Secretarium conferri, ac sibi tradi petiit, quod ei quoque datum est, ea tamen lege, ut authographum ad Facultatis scrinia reponeretur. Porro observandum venit, quod hæc, ut vo- cant, originales literæ absque punctis, virgulis, & sine articulorum præscri- ptorum distinctione fuerint exarratæ, quamvis Bulla die quarta Februarii anno præcedente Vaticanis literis una- cum

cum punctis, & propositionibus numero septuaginta sex distinctis excusa fuerit, atque ipsemet Toletus quoddam ejusmodi exemplar typis impressum Lovanium detulerit. (*)

Sæcul. XVI.
A. C. 1580.

§. XLV.

(*) Hanc animadversionem a Continuatore factam haud mireris, benevole lector, cum enim ille Bajo Jansenistarum Præcursori appime faveat, mirum non est, quod etiam his effugiis utatur: lubeat tamen doctissimum Cardinalem Gotti in suo tractatu de Victoria adversus hæreses cap. 117. §. 3. n. 6. hanc in rem ita differentem audire: non defuere, inquit ille, qui etiam in Academia super propositionum Baji damnationis intelligentia novas lites excitarent, dicentes, aliquas ex præfatis propositionibus etiam in sensu ab earum assertoribus intento sustineri posse, eo, quia Bulla Pii V. sic loquitur: *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent* (nulla interjecta virgula) *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas &c.* ideoque Bullam adulteratam esse ab eis, qui inter hæc verba *sustineri possent*, & ista sequentia *in rigore, & proprio verborum sensu* virgulam interposuerunt: nullam eo loco interjectam esse virgulam in originali Bulla Jacobus Jansenius Lovaniensis Doctor autographum manibus tenens, ac legens testabatur. Idem

Sæcul. XVI.
A. C. 1580

§. XLV.

Disputatio Reinerium inter, & Bajum circa operum merita.

Bajan.
pag 157.
& 207.

Hac circumspectione nondum in Facultate pax integre fuerat restituta: Bajus enim brevi eorum, quæ polli-

sentit Jansenius Yprensis Episcopus lib. 4. de statu naturæ lapsæ capite ultimo, asserens se nullum virgulæ, seu distinctionis vestigium in autographo, quod sæpe legerat, vidisse, & consulto distinctionis notam, seu virgulam a Pontifice omisam contendit, ut quasdam ex illis Propositionibus in sensu ab Auctoribus intento sustineri posse significaret.

Verum dato etiam, quod in Pii V. diplomate eo loco, & aliis scribæ incaria virgula deesset, in Gregorii tamen XIII. originali Diplomate cum virgula hanc sententiam legere est, sicut in constitutione Urbani VIII. quæ incipit: *In eminenti*. Accedit, quod si absque virgula interjacente verba illa legenda essent, sibi contradiceret Pius Pontifex, nam si aliquæ Baji propositiones in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustineri possunt: ergo absolute, id est, in sensu proprio, seu in sensu, quæm reddunt, & in quo a Bajo asseruntur, propugnari poterunt: cur ergo eas una cum aliis damnat?

cur

pollicitus est, immemor die duodeci- Sæcul. XVI.
A.C. 1580.
ma Novembris, cum publicæ disputa-
tioni circa operum merita præesset, in
hæc verba prorupit: „creatus est homo,
„ut bona opera faciat, quemadmodum
„avis, ut volet: & sicut avis volare
„non potest fractis alis, ita nec homo
„bene operari potest confractis viribus.,,

Hæc propositio suspecta videtur, hinc
Cornelius Reinerius a Bajo sciscitaba-
tur: an igitur, quemadmodum avi vo-
latus, ita justitia primo homini fuerit
naturalis? quam interrogationem si
Bajus affirmasset, tunc impegisset in
articulum per Bullam Pii V. condem-
natum, qui scilicet primo homini justiti-
am afferit fuisse naturalem: porro ille
hujus rei periculum simul, & interro-
gantis intentionem, & studium per-
fen-

cur insuper omnium retractationem a Michaele
Bajo postulavit, & obtinuit Toletus, si ali-
quæ earum in rigore, & proprio sensu ab
Auctore intento sustineri potuissent? verba
ergo illa Pontificii diplomatis non in sensu co-
pulativo, sed adversativo accipienda sunt, id
est, quamquam nonnullæ in aliquo sensu su-
stineri possent, nempe in sanum sensum ut-
cunque flecti, tamen in rigore, & proprio
sensu, quem verba præferunt, & in quo
ab Auctoribus afferuntur, damnamus, abo-
lemus.

Sæcul. XVI

A C 1580.

fentiscens respondit, a se hoc non as-
feri, sed tantum in eo similitudinem
statui, quod, quemadmodum avis fra-
ctis alis, volare non potest, ita nec ho-
mo destitutus Spiritu sancto, qui & ei
adinstar alarum est, quove in sub-
lime fertur, bene operari possit.
Nihilominus Reinerius institit ulterius,
interrogans, an ergo iustitia, & ejus
meritum fuerint homini naturalia in
primo statu? cujus interrogationis hæc
videtur fuisse causa, quod Magister Mi-
chael ante publicatam Bullam dicere
solitus fuerit, meritum primi hominis
descendere ex lege naturali, & non a
gratuita Dei ordinatione, proin si rur-
sus responderet, quod primi hominis
meritum nequaquam a gratuita Dei vo-
luntate, sed a lege naturali processisset,
tunc nullo negotio convinci posset, eum
hanc sententiam in Bulla damnatam
tueri. Porro Joannes Lensæus Bel-
liolanus tum Universitatis Rector sese
Reinerio adjungens addidit, quod id
ex tertia assertionem, quam propugnaf-
set, sequeretur, cum tunc, si opus
bonum sit meritorium in homine
sano per legem naturalem, etiam piæ
actiones evaderent meritoria in homine
lapso per eandem legem, eoquod hæc
lex semper esset ejusdem naturæ. Ba-
jus cum hujus argumenti efficacia se
devin-

devinci cerneret, suamque mentem explicare non auderet, nihil respondit ad hanc oppositionem, quam ad suam thesin haud pertinere credebat, unde, quantumcunque a Reinerio premeretur, ipse semper cuncta propudioso silentio eludebat.

§. XLVI.

Continuata disputatio Bajicum Marnixio.

Insuper contentio, quam Bajus cum Marnixio Aldegondo habebat, ejus æmulis majorem adhuc ansam præbuit, ut eundem circa plura impugnant, quæ in suis scriptis ad præfatum Calvinistam directis somniabat: præprimis autem Pater Horantius Ordinis Fratrum Minorum Alumnus reprehendebat, nec æquo ferre poterat animo, quod Bajus humaniori, quam decuisset, stylo suas ad Marnixium scripisset epistolas, & quamvis ipsius responsa ad quæstiones de Eucharistia commendasset, eum tamen circa ipsius quæstiones de Ecclesia impugnandum censebat, querens, quod ejus epistolæ contra Marnixium adversarium scriptæ nimis benignæ fuissent, necnon idem Bajus Augustinum non secutus dixisset, judicium de Ecclesia esse ex sola Scriptura petendum. Igitur Horantius epistolam hanc

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

Sæcul. XVI. hanc Antonio Ghennarto, Canonico
A.C. 1580. Leodiensi, ac Cenfori librorum, appro-
 bandam, ac Leodii edendam obtule-
 rat: verum cum nec ab isto, nec ab
 aliis librorum cenforibus suæ epistolæ
 approbationem obtinere potuisset, eam
 Colonix mense Februario typis dedit,
 etsi idem Horantius Lindano Episcopo
 Ruremundano, se eam non editurum in
 lucem, promisisset, quin prius eam
 misisset Bajo, & tum hic desuper se ex-
 plicare recusasset. Id Lindanus per
 literas die octava Februarii anno mil-
 lesimo quingentesimo octogesimo datas
 significabat Bajo, qui continuo suas
 explicationes transmiserat: at istæ
 Baji explicationes nullibi reperiuntur,
 nec ullum illius exemplum reperiri po-
 tuit, ideo forte id factum, quia ipse
 Bajus, ut innuit, nullum sibi exem-
 plum illius conservavit.

Hoc eodem anno millesimo quin-
 gentesimo octogesimo Philippus Mar-
 nixius suam ad posteriores Michaelis
 Baji literas die decima octava Decem-
 bris anni millesimi quingentesimi se-
 ptuagesimi septimi, & die septima Ja-
 nuarii anni millesimi quingentesimi se-
 ptuagesimi octavi datas, responfionem
 valde prolixam absolvit, ac publici ju-
 ris fecit, una cum iis, quæ tam ab ipso,
 quam a Michaele Bajo disputata hæc-
 nus

nus fuerant: mox autem Michael Ba-^{ſæcul XVI.}
 jus Horantii objurgationibus per epi-^{A.C 1580}
 ſtolam apologeticam memorato An-
 tonio Ghennarto ſcriptam reſpondit,
 ac ad ultimam Marnixii reſponſionem
 edidit aliam Apologiam eorum, qua
 iſtis quæſtionibus, ac objectionibus
 hætenus reſponderat.

§. XLVII.

*Lufitanicæ ſtatus propter regni ſuc-
ceſſionem.*

Interea Henricus Luſitanicæ Rex Alme-^{Thuan. l. 69.}
 rinum ad nonam Januarii diem Regni ^{ſpond hoc}
 comitia convocabat, quibus Leirientis ^{ann. n. 1.}
 Epifcopus initium fecit, hujusque con-
 ventus rationes expoſuit, ubi præpri-
 mis Rex per eundem Præſulem ple-
 bæio Ordini hæc ſignificabat: „Philip-
 „pus II. Hiſpaniæ Rex ſæpius me in-
 „terpellavit, ut ipſummet regni ſucceſ-
 „ſorem designem: ſed ego ſemper rem
 „diſtuli, donec de jure partium con-
 „tendentium plene edocerer: verum
 „dum mature penſitavi, & examinavi
 „in medium undecunque allatas ratio-
 „nes, exploravique peritiorum ſenten-
 „tias, tandem comperio, quod inter
 „Philippum II., & Catharinam Bracan-
 „tini Ducis uxorem controverſia rema-
 „neat: cum autem hanc litem dirime-
 „re varias ob cauſas periculofum eſſe
 „,iii-

Sæcul XVI. „intelligam, ac consultius longe fore
A.C. 1580 „censeam, ut amice, & pacata via res
 „transigatur, proin Regni Ordines mo-
 „neo, ut in commune consulant, ac
 „dein ex eorum sententia de re omni
 „ad Dei gloriam, & Lusitani regni de-
 „cus, ac tranquillitatem deinceps sta-
 „tui valeat.„

His perceptis Deputati, cum regem natione Lusitanum habere peroptarent, remque electionis via perficiendam sperarent, ad Henricum quosdam supplicatum decernebant, ut circa Successoris electionem eorum consilia exquirere vellet: verum hoc negotium tanta animorum contentione agitari cæperat, ut Rex, qui animis ita affectis mentem suam aperire, intempetivum existimabat, Deputatis tridui spatium indulgeret, infra quod suas proferrent rationes. His induciis lætabantur illi, eoquod se regem arbitrio suo creaturos considerent: ast haud diu hoc gaudio frui illis licuit.

§. XLVIII.

*Henricus olim Cardinalis, Lusitania
 Rex mortuus.*

*Eiacon.
 pag. 708.
 Vasconcel.
 hist Reg.
 Lusit.
 Thu. l. 69.*

Vix Henricus Almerinum venerat, cum jam antea ad verla valetudine pressus die trigesima prima Januarii sub mediam mortem deliquium patere-
 tur,

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

tur, & paulopost sexagesimo octavo ætatis suæ anno animam Deo redderet, postquam nonnisi uno anno, quinque Mensibus, totidemque diebus sceptrum rotaverat. Is erat quintus Emanuelis Regis, & Mariæ Castellanæ Filius die trigesima prima Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo natus, qui toto regiminis sui tempore se se pietatis operibus valde addictum exhibebat, semperque, quantum poterat, Jesuitis propensus Eboræ Collegium pro illis erigebat, apud quos etiam sibi sepulturam elegit: postea tamen corpus ejus Philippi II. jussu ad Ecclesiam sanctæ Mariæ apud Religiosos Ordinis sancti Hieronymi translatum in Majorum suorum tumulo reconditum est.

Henricus quamprimum oculos clauferat, mox testamenti tabulis, quas octavo ante obitum suum die conscripserat, apertis cognoscebatur, quod ille successionem Regni ei deferret, qui causa in jure disceptata vinceret, nisi ipse ante mortem suam causa plene cognita jam hæredem legitimum nominasset: vix autem Philippus Henrici mortem compererat, cum illico Regni Ordines, Gubernatores, & Ulyssiponensem Curiam inducere studuit, ut ipsum absque omni mora Regem declararent, cum ipse huic Nationi opti-

Hist. Eccles. Tom. XLIX. Pp me

Sæcul. XVI.
A.C. 580.
me affectus non modo illius libertates, & privilegia servare, sed ea etiam, si opus foret, augere vellet: si vero eum tanquam Regem suum agnoscere detrectarent, jus suum armis se profecuturum minitabatur. Ad hæc Gubernatores in responsis dabant, quod Deputatos ad eum mittere pararent, qui cum ipso de ejus juribus conferendi potestatem haberent, proin illos benigne excipere dignaretur.

§. XLIX.

Philippus II. Lusitaniam armis sibi vindicare paratus.

Thuan. l. 69.
Spond. n. 2.
Equidem Papæ Nuntius ejusdem Sanctitatis suæ nomine rem componere satagebat: at Philippus hæc preces repulsæ loco habens Lusitaniam armis invadere statuit, serioque ad bellum se accingit, hinc duos potentissimos exercitus terra, marique præmisit, qui Regis consilia exequerentur: porro primo exercitui præfecit Albæ Ducem, quem eo ex fine Uceda, quo eum ob suam arrogantiam relegabat, evocavit, ac primo huic expeditioni ipse interesse voluit, mutato tamen consilio, in Beturix finibus subsistere contentus die quarta Martii Madrito profectus Guadalupam contendit, eoque die vigesima secunda ejusdem Mensis pervenit.

§. L.

§. L.

Sæcul. XVI.

A.C. 1580.

*Conscientiæ casus a Rege Hispano
Complutensibus Theologis
propositus.*

Philippus ne Regnum usurpasse, sed *Thuan. l. 69.*
potius non nisi juxta æquitatis leges
jura sua tueri crederetur, Compluten-
sibus Theologis, scilicet Franciscanis,
& Jesuitis hanc quæstionem discutien-
dam proposuit. I. An nunc, cum de
jure suo quoad Regni Lusitani successio-
nem ex Henrici obitu delatam sibi cer-
to constaret, præcepto conscientiæ ob-
stringeretur se submittere alicui tri-
bunali, quod illi regnum adjudicaret,
& in ejus possessionem ipsum mitteret.
II. Quærebat An dein, si Lusitaniæ ordines
eum in regnum admittere renuerent, ip-
semet propria auctoritate, antequam in
jure cum aliis competitoribus re di-
sceptata contrario judicio prævaleret,
regni possessionem sumptis contra re-
sistentes armis apprehendere posset, ad-
eo, ut hoc facto nullis scrupulis se te-
neri sentiat. III. Cum Governatores,
& ceteri Lusitaniæ ordines jurisjurandi
Religione prohiberi se dicerent, quo mi-
nus eum in Regem admitterent, eo-
quod non in jure Regni hæres decla-
ratus esset, maxime reclamantibus com-
petitoribus, qui se juris auctoritati of-
fere-

Pp 2

fere-

Sæcul. XVI. ferebant, hinc insuper quærebat Phi-
A.C. 1580 lippus, utrum prætenſum hoc jus-
 jurandum excuſationis loco, quo Re-
 gem legitimum non reciperent, accipi
 deberet: ad hæc Theologi prorsus re-
 sponſa Philippi voto congruentia dabant,
 hæc aſſerentes: „Rex nullo concien-
 „tiæ vinculo obſtringitur, ut ſe alterius
 „jurisdictioni, aut arbitrio ſubjiciat;
 „quippe cum propria auctoritate re-
 „gnum ſibi adjudicare, & poſſeſſionem
 „ejus adipiſci poſſit: nec etiam ullum
 „ſe ſuperiorem, minus vero agnoſcere
 „tenetur Judices ab Henrico conſtitu-
 „tos, cum certum ſit, illorum aucto-
 „ritatem, ſi tamen ulla unquam vale-
 „bant, hujus Regis obitu penitus ex-
 „ſpiſſe: inſuper nullæ hac in re ſunt
 „Pontificis partes, cum de negotio me-
 „re profano agatur, nec quicquam ſub-
 „ſit, ob quod debeat intercedere ſacri
 „fori auctoritas: neque vero quicquam
 „cauſſæ eſt, cur ſe ordinum Luſitaniz
 „judicio ſubmittere teneatur Philippus,
 „nam electis ſemel Regibus, in eos, eo-
 „rumque ſucceſſores omne jus transla-
 „tum intelligitur, ut penes ipſos om-
 „nis ſit jurisdictione, nec ab aliis judi-
 „cari poſſint: quando igitur conſtat,
 „Philippum verum, ac legitimum Re-
 „gni hæredem eſſe, & hoc verum eſſe
 „probatur, tunc nullius alterius tribu-
 „nalis

„nalis, præterquam proprii sui, juris-
 „dictionem subire debet. Præterea
 „nulla jurisjurandi religione ligantur
 „Lusitani, quo minus Philippum Re-
 „gem admitterent, cum ex supra di-
 „ctis constet, neminem esse vel digni-
 „tate, vel potestate, ac jure in hac
 „caussa Philippo superiore, qui ea de
 „re posset cognoscere.„

Sæcul. XVI.
 A. C. 1580.

Horum Complutensium Doctorum
 sententiæ, quæ postea divulgabatur,
 innixus Philippus Rex armorum quo-
 que vim adjungere statuit, prius vero
 Lusitanos monuit, ut ipsum vel tan-
 quam Regem agnoscerent, vel belli for-
 tem cum illo tentarent. Postea Alva-
 rus Bassanus Sanctacrucius Marchio
 trirremium Præfectus Albæ Ducem ac-
 cesserat, ut cum eo de futura expe-
 ditione conferret.

§. LI.

*Antonius Cratensis Prior Scalabi in
 Regem proclamatus.*

Hoc Philippi responsum ad Conimbri-
 censem Episcopum, & Emanuelelem
 de Malo Gubernatorum Deputatos per-
 ferebatur, inde vero inter utrumque
 hunc Oratorem dissensio exorta est, quæ
 tamen haud parum ad hoc conducebat,
 ut quam plurimi clam Hispaniæ Regi
 faverent, ac unice infimæ plebis, quæ

Tuan. l. 70.

Pp 3

Hispa-

Sæcul. XVI. Hispano Principi sese subicere renue-
A.C. 1580. bat, furori satisfaciendi studio arma
 pararent: igitur Antonius Cratensis
 Prior spurius Filius Ludovici de Beja,
 qui secundo-genitus Emanuelis Regis
 Filius erat, hoc Gubernatorum diffi-
 idium in rem suam vertere in animum
 induxit, ut ipse in Regem proclamare-
 tur, quem in finem feliciter ad sua stu-
 dia pertraxit Guardanum Antistitem,
 turbidæ, ac seditiosæ indolis Virum,
 qui unacum eo Scalabi agebat: hic igi-
 tur brevi urbanum loci Præfectum, ur-
 bis Decuriones, & Parmensem Epi-
 scopum suis consiliis adspirantes sibi
 conciliabat, horumque auctoritate fre-
 tus abrupta omni mora, sacroque sole-
 mniter celebrato orationem habuit, in
 qua adstantes allocutus in Antonii lau-
 des fusius excurrerebat, tanto successu,
 ut hic postea die decima nona Junii Rex
 declararetur, quin Gubernatores, vel
 regni Ordines suo suffragio accederent:
 equidem ex ejus amicis, qui saniori pol-
 lebant judicio, Antonio auctores existi-
 tere, ut defensoris regni titulo conten-
 tus esset: attamen hic solo hoc nomi-
 ne suæ ambitioni haud satisfactum ra-
 tus vano titulo, quo tamen se brevi
 spoliandum prævidere poterat, potius
 superbire maluit, quam inferiori qua-
 dam dignitate, majori tamen cum se-
 curitate

curitate, inclarescere: ideo ad Urbis Sæcul. XVI.
A. C. 1580.
Prætorium accedens illius portas effringi iussit, seque cuncta Nationis privilegia, ac jura conservaturum jurata fide pollicitus quantocius ad cunctas Urbes, earumque Gubernatores literas dedit, quibus subscripto Regis nomine milites conscribi, suaque mandata ad effectum deduci præcepit. Postea Scabali Ulyssiponem venit, ubi tanquam Lusitanæ Rex die vigesima quarta Junii urbem solemniter ingressus pro more juramentum præstitit, demum vero edictum promulgavit, vi cuius Philippum regni hostem, omnes autem illius fautores tanquam patriæ proditores declarabat.

Ceterum Antonius ex genere non admodum claro ortus nullum ex Magistratu sibi faventem numerabat, sed potissima ex parte nonnisi Conimbricensis Academiæ Doctores præter populum sibi suffragantes habebat, quorum potentia contra hostes suos tam domesticos, quam externos, quibuscum ipsi res erat, nimium infirma exstitit, sua tamen ambitione excæcatus hujus fulcri imbecillitatem haud agnovit, quam nihilominus brevi eidem Hispanicorum armorum felicitas indicavit, ubi se, ut cum Philippo Rege transigeret, compulsum vidit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

§. LII,

*Legatus a Papa ad Philippum Regem
decretus pro concordia ineunda.*

Thu. l. 70. Ignorabatur adhuc Romæ nova hæc
Spond. n. 5. Antonii inauguratio, cum summus
Cic. tom. 4. Pontifex in Hispaniam Alexandrum Ri-
p. 4. arium Cardinalem ablegaret, qui, si qua
ratione posset, Philippo persuaderet, ut
armis depositis se iudicio sacræ Sedis
submitteret: postquam igitur Cardina-
lis Pacem Augustam venit, mox secre-
tam legationis suæ causam Sartagoni
Comiti manifestabat, qui rem ad Hi-
spaniæ Regem detulit: hic vero diffi-
mulatione usus præcepit, ut Legatus
in omnibus, quas pertransiret, urbibus
solemnis ingressus honoribus exciperetur:
porro Rex hanc obtendebat causam,
ut eidem Legato amplius deferretur
obsequium, re tamen ipsa id Rex
imperabat, ut hac ratione Legati iter
tamdiu retardaretur, donec ipse Uly-
sionem, ac reliquum Lusitanæ reg-
num præcipiti impetu occupare posset:
hoc vero Regis consilium cum Legatus
haud penetraret, lubens omnibus festi-
vitatibus in ejus gratiam institutis libera-
liter utebatur, quamprimum autem ad-
venerat, cunctas res jamjam adeo pro-
motas experiebatur, ut nimis tardum
Pontificis monitum cerneret. Ceterum
sum-

summus Pontifex ad Lusitaniæ regnum nominandi jus sibi competere contendebat, eo ex titulo, quod mortuo Henrico Rege, cum is Sacerdos, & Cardinalis fuisset, ipsius regnum tanquam Cardinalatus spoliū ad Sedem Apostolicam devolveretur (*): verum Pontificis

Sæcul. XVI.
A C. 1580.

(*) Hæc fabula, ac cerebri commentum tantopere Continuatori nostro placuit, ut haud contentus, quod illud jamjam priori libro §. CX. adduxerit, nunc iterum repetere voluerit, ubique tamen mendax: falsum enim est, quod summus Pontifex sese tanquam hujus regni competitorē exhibuerit, majus adhuc mendacium sapit, quod Thuanus, Ciaconius, & Spondanus, quos perperam allegat, hoc testati fuerint, cum econtra Pontifex duntaxat se hujus controversiæ arbitrum obtulerit, & id nequidem sponte sua, sed a Competitoribus rogatus; *singuli enim*, ut ajunt Spondanus, & Thuanus l. c. *consultationes suas pro jure suo ad Pontificem, & Christianos Principes miserunt*, postea rursus Papa suam auctoritatem Philippo obtulerat ad vitanda, quæ parabantur, arma, ut denuo ait Spondanus; Ciaconius vero clarius adhuc loquitur, dum ait: *Papa Riarium Cardinalem legavit, ut Philippo Pontificis nomine faveret, & Lusitanos pace componeret.* Ergone apud nostrum Conti-

Sæcul XVI tificis consilio Clerus, Nobilitas, & ple-
A.C. 1580. bæjus Ordo obsistebant: insuper sub-
 jungebat Pontifex, quod Sedes Apo-
 stolica Alphonso Henrico secundo geni-
 to Lusitanæ Comiti Regis titulum con-
 cesserit, eo pacto, ut quotannis Ro-
 mano Episcopo quamdam summam li-
 brarum auri (*) penderet: verum Lu-
 fitani

nuatorem idem est sese pacis conciliatorem, &
 litis arbitrum offerre in successionis negotio,
 ac sese Regni cujusdam competitorem exhibere?
 ergone historico integrum manet, pro arbitrio suo
 quæcunque fingere, falsoque sui commenti
 Authores allegare? attamen hisce armis
 malevoli etiam sanctissimas juxta, ac æquissimas
 Pontificum actiones carpere solent: hoc
 commentum Continuator noster in Hæreticorum
 gratiam fabricare cogebatur, ut cum illis
 quodam exemplo comprobare valeret, quod
 Pontifices iniqui sint regnorum usurpatores,
 sibi que illorum dominium vendicent.

(*) Continuator noster certum numerum
 hujus summæ designare aut non voluit, aut
 non potuit: si defuere Scriptores, cur ergo
 rem absque teste allegat? si vero id in Scrip-
 toribus habetur, cur illos non citavit, vel
 in eos non inquisivit, qui id referunt; si
 enim Auctores reperit, qui de hoc Pontificis
 jure

fitani affirmabant, quod Alphonsus bi-
duo ante Ouricense prælium, in quo
quinque Maurorum Reges debellabat,
a suo exercitu in Regem fuerit procla-
matus: ast ut res se habuerit, id
certum, quod Philippus piam Gregorii
XIII. voluntatem sibi suspectam habens
(*) jus suum, quod certum credebat,
nec in discrimen adducere, nec a Papa
regnum recipere voluerit, dum istud viri-
bus suis confisus se occupaturum, con-
servaturumque sperabat, quin cuiquam
illud in acceptis referre teneretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

§. LIII.

*Philippi colloquium cum Legato Pacis-
Augustæ habitum.*

Postquam Legatus Pacem-Augustam,
ubi Rex agebat, pervenit, varii ob-
tendebantur prætextus, quorum ope
Legatus Regem allogi diu præpedie-
batur, tandem vero admissus Regi lega-
tionis suæ causam exposuit, absoluto-
que

Thuan. &
Spond. l. c.

jure testantur, absque dubio in illis etiam certum
numerum hujus summæ, ac conditionem a
Papa appositam legisset: videtur Continuator
in fingendo effrons, sed in levi commenti sui
circumstantia scrupulosus, ac timidus.

(*) Hoc nequidem Thuanus alias Pontifi-
cibus valde injuriosus asserere audebat.

Sæcul. XVI^o
 A.C. 1580.

que ejus sermone Philippus hæc in re-
 sponſis dedit: „rerum ſtatu penitus im-
 „mutato Pontificis deſideriis obſequi
 „non valeo, optabam quidem ab initio,
 „ut res citra vim componeretur, ſed An-
 „tonio in regem a ſeditioſa plebe electo,
 „& per illam vitioſam creationem vio-
 „lata regni Ordinum auctoritate res
 „amplius integræ non ſunt, hinc belli
 „neceſſitas mihi ab Antonio impoſita
 „eſt, illudque inchoatum intermittere
 „perinde eſſet, ac ſi victoriam, quam
 „vix non paratam habeo, hoſti trade-
 „rem. „ Ad hæc cum Cardinalis pru-
 dentiffimo Principi nihil in rerum ſua-
 rum præjudicium perſuaderi poſſe cer-
 neret, ad alteram mandatorum partem
 descendit, & in Luſitaniam tranſire a
 Pontifice ſibi imperatum eſſe denuntia-
 vit: verum hanc quoque Legati peti-
 tionem Philippus ſcite eluſit, officioſe
 eum ab hoc itinere dehortatus, cum
 minus ei honorificum eſſe diceret, in hoc
 rerum ſtatu proficiſci ad populos, uti
 legitimo Principi, ſic & omni rectore
 deſtitutos, ubi inter arma, & turbidos
 ſeditioſæ plebis clamores vox ſummi
 Paſtoris exaudiri nequiret, ejusque ſa-
 croſancta Majeſtas tanquam inter indi-
 gnos projecta vileſceret. Percepto hoc
 reſponſo cum ſatis intelligeret Cardina-
 lis,

lis, quod rei conficiendæ spe excideret, hinc Romam redeundi veniam postulabat. Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

§. LIV.

Antonii molimina suo successu destituta.

Cum ergo Philippus hac ratione a Pontificis sollicitationibus liber esset, promulgato edicto omnium delictorum oblivionem, veniamque exceptis tantum Antonio, ac rebellionis auctoribus obtulit omnibus illis, qui eum tanquam Regem veneraturi essent. Hæc clementia haud parum Ulyssiponensium animos demulcebat, præcipue cum Antonii factio aliunde jamjam plurimum debilitata intra brevi temporis spatium ferme ad nihilum redigeretur: quapropter idem Antonius, cum sibi jam proximum imminere periculum cerneret, illudque, tardius licet, eluctari quæreret, Cercamo, qui ei a secretis erat, negotium dabat, ut nuntiaret Philippo, quod ei regnum cedere paratus esset, dummodo is, ut honestius id fieret, regni Ordinibus significare permetteretur, quod ipse Philippi potentiaæ impar ipsis libertatem concederet, ut rebus suis consulant: verum Philippus, qui jam successu inflatus condiciones nullas acceptare voluit, Cercamum ad Albanum

re-

Thuan. l. 6.

Sæcul. XVI. remittit, qui haud benignius hunc De-
 A.C. 1580. putatum habebat.

§. LV.

*Antonius cæsus, ac Ulyssiponensis urbs
 a Philippo occupata.*

*Thuan. &
 Spond. l. c.*

Antonius ad prælii necessitatem adactus die vigesima quinta Augusti prope Alcantaram urbem certamen inibat, sinistro tamen suorum armorum successu, quippe ejus milites undique cincti rupto ordine salutem in pedibus quærebant, ubi ipse etiam Antonius relicta acie fugientibus immixtus ad Ulyssiponensem urbem confugit: verum ab insequentibus in itinere ictu hastæ in faciem impactæ fauciabatur, unde parum abfuit, quin ab Italis quibusdam honorariæ militiæ juvenibus caperetur: sub idem quoque tempus sanctæ Crucis Marchio navalem Antonii exercitum ad Tagi fluvii fauces profligabat: unde miser hic Rex Ulyssiponem cum infauftis exercitus sui reliquiis per unam portam ingressus, ex altera mox egredi cogebatur, recta Santaremum contendens, ubi tamen non aliter excipiebatur, nisi ea lege, ut quantocius alio sese conferret: mox autem illata hac clade Ferdinandus Albæ Ducis Filius Ulyssiponem versus accurrit, ut Antonii copiis ab ingressu prohibitis urbem a di-
 re

reptione præmuniret, ipse vero Albæ Sæcul. XVI.
 Dux die undecima Septembris omnes A.C. 1580.
 Ulyssiponenses incolas adeste, ac Phi-
 lippo Regi sese fidei sacramento obstrin-
 gere iussit, nec minus Magistratus hunc
 Principem in omnibus urbibus tanquam
 Regem suum proclamari mandarunt.

§. LVI.

*Novæ Antonii copiae rursus profli-
 gatae.*

Thu. 1. 70.

Antonius ob acceptam hanc cladem
 nondum penitus animum desponde-
 rat, sed Santarremo Conimbriam, ac in-
 de continuo Montem - Majorem con-
 cessit, ubi cum novem circiter millibus
 recens conductis Averum, quod oppi-
 dum sibi devinciebat, contendit: quam-
 primum vero Avilam Ducem adventasse
 compererat, mox Portum secessit, in-
 genti magnificentia exceptus: Avila
 autem ejus exercitum insequente brevi
 omnes illius copiae fuerunt dissipatae.
 Tum primum Antonius sese omni ope
 destitutum cernens, Mense Octobri suos
 milites dimisit, navemque conscendit,
 feliciter evitans Hispanos Equites, qui
 fugientem comprehensuri illum insequen-
 bantur. Postea hic Princeps per uni-
 versum regnum vagabundus oberrabat
 usque ad mensem Majum anni sequen-
 tis, quo in Gallias salvus navigabat.

§. LVII.

Sæcul. XVI.

§. LVII.

A. C. 1580.

*Bragantiæ Dux Philippum invisens,
atque ab eo humaniter exceptus.*

Thuan. l. c.

Interea Philippus die quinta Decembris Elvam usque processerat, ubi Bragantiæ Dux, necnon Barcelli Dux ejus Filius eundem salutatum venerant, quos Philippus peramanter excepit, ac Patri regii Magistri Equitum dignitatem a Majoribus acceptam tanquam hæreditariam confirmavit, atque eidem aurei velleris torquem concessit, hoc honore remuneraturus illorum generositatem, qua sua ad regnum jura Philippo cesserunt. Postea idem Rex Tomarii Ordinum comitia ad diem decimam quintam Augusti anni sequentis indixit, literasque, ac Nuntios ad omnes urbium, quas Lusitani in Indiis tenebant, Gubernatores misit, qui Regem Catholicum ab omnibus regni Ordinibus Regem esse renuntiatum significarent: cum vero hi Nuntii serius ad Azoras Insulas pervenirent, Antonius hanc cunctationem in rem suam vertebat, & Franciscanorum ope adjutus omnes has Insulas excepta Sanmichaeliana, quæ Hispaniæ erat vicinior, ad suam fidem adegit; hæ enim gentes nimia credulitate Franciscanis fidem adhibebant, afferentibus, Sebastianum Regem

gem, prout fallax rumor sparfisset, minime mortuum, sed illum adhuc vita superflitem esse, atque incognitum in Insula Tertia morari, ac die quarta Augusti Angram, quæ hujus Insulæ caput est, perventurum (*).

æcul XVI.
A. C. 1580.

§. LVIII.

Sacerdotes Angli Romæ, & Duaco in Angliam profecti.

Postquam Angliæ Regina compererat, quod majori, quam unquam sollicitudine quamplurimi Sacerdotes ex Seminariis Duaci, Rhemis, & Romæ erectis in Angliæ regnum venirent, eo utentes obtentu, quod Angliæ Catholicos solari, eisque Sacramenta administrare vellent, hinc suspicionem conceperat, quod hi Presbyteri eo fine in Angliam penetrent, ut subditorum animos accenderent ad exequendum illud decretum, quo Pius V. hanc Reginam suo regno exutam anathemate percellabat, ejusque subditos ab obedientiæ vinculo exsolvens eisdem permittebat, ne deinceps illam tanquam Reginam suam venerarentur: attamen sive verus, sive vanus fuerit ille metus, id tamen nimis compertum habetur, quod
Eli-

Thu. l. 70.
Rapin. hist.
d' Angl. t. 3.
l. 17.
Spond. n. II.
Sander de
schif. Angl.

(*). Hæc fabula a Thuano confarcinata est.

Hist. Eccles. Tom. XLIX. Qq

Sæcul. XVI. A C. 80. Elifabetha cunctos hosce Sacerdotes
 comprehendi iusserit, eorumque plures
 crudeli mortis supplicio affecerit; nec
 tamen inhumana hac sævitia plurium
 Virorum Apostolicorum zelus adeo de-
 terreri poterat, quin non subinde novi
 in Angliam adventarent Sacerdotes,
 quorum labores Robertus Personus, &
 Edmundus Campianus Jesuitæ adjuva-
 bant: porro istorum primus Sommerfeti
 natus suo erga fidem Catholicam studio
 celebrem sese reddidit, alter vero Lon-
 dini ortus inter Anglos hæreticos spu-
 rii Diaconi munus obibat, ejurata au-
 tem secta ad Duacense Ang'orum Semi-
 narium, ac inde Romam delatus ibi-
 dem anno Christi millesimo quingente-
 simo septuagesimo tertio Societatem in-
 gressus est, ubi postea Viennam, & Pra-
 gam missus, ac rursus Romam decre-
 tus in Angliam reverti jubebatur: ce-
 terum ambo hi Viri Apostolici, quorum
 unus vehementioris, alter vero lenis,
 ac moderatæ indolis erat, a Gregorio
 XIII. diploma die decima quarta Augu-
 sti datum impetrabant, vi cujus nunc
 militis, nunc mercatoris, modo alte-
 rius generis vestes induti Angliam pe-
 ragrarunt, ut Catholicis piam opem
 ferrent, eosque in fide orthodoxa fir-
 marent: verum eorum zelus in fini-
 stram partem vertebatur, atque Catho-
 lico-

licorum domos non tam illos imbuendi, ac folandi, quam ad feditionem, & rebellionem animandi studio, necnon perniciofa confilia non fine funefi mali periculo inflillandi animo accessiffe infimulabantur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1580.

§. LIX.

Reginæ edictum aduersus Catholicos.

Quamprimum falsi hi rumores ad Elisabethæ Reginæ aures pervenerant, mox illa convocato Senatu suo die decima quinta Julii edictum promulgari iussit, vi cuius omnes, quorum proles apud Ultramontanos agerent, earum nomina inter decem dierum spatium indicarent, illasque infra mensem revocarent, atque illarum adventum Magistratui significarent: insuper præcipiebat, ut Parentes ejusmodi liberis, si ad regnum reverti renuerent, nullum pecuniarum subsidium nec per se, nec per alios submitterent: demum vero omnibus, & singulis inhibuit, ne ullos cujuscunque conditionis forent, Sacerdotes hospitio exciperent, aut ad Jesuitarum, vel illorum, qui ex Romano, Duacensi, & Rhemensi Seminariis advenerint, sustentationem quicquam conferrent, transgressores vero hujus legis tanquam læsæ Majestatis rei puniri jubebantur: cum vero plu-

Tuan 1. c.
Ravin 83
Sander. J. c.

Sæc. XVI.
A.C. 1580.

res divulgarentur libri, in quibus summus Pontifex, atque Hispaniæ Rex Religionem Catholicam in Anglia restaurare accusabantur, ac Catholici Angli horum propositum promovere admonebantur, hinc Regina aliud edictum promulgari jussit, quo speciatim hæc exponebat: „Haud incognita mihi sunt „hostium meorum molimina, nihilominus adjuvante Deo, & opitulantibus „subditis meis tam domesticis quam exteris insultibus resistendo me parem „cerno.“

§. LX.

Draki navigatio circa universum Orbem, ejusque reditus in Angliam.

*Thuan l. 71.
Cambden de
Britan. Heri-
volog. Angl.
Spond. hoc
ann. n. 24.
De Franc.
Drakii navigatione.*

Hoc anno Mense Novembri Franciscus Drackus, qui exeunte anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Plimutho Angliæ portu solvit, circumnavigato terrarum orbe reversus est: porro hic anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo die quinta Aprilis in Brasiliam venit non nisi tres naves secum ducens, earum enim duas sæva tempestate jactatas amiserat, suppelectili tamen, ac militibus periculo ereptis: die autem vigesima secunda Augusti fretum Magellanicum subiit, alto mari sese committens, ubi multas

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

multas prætervectus regiones in illis
 maximam auri, argentique vim, ac
 pretiosas merces Hispanis eripuit. De-
 mum illum in Angliam reversum Elifa-
 betha equestri honore decorabat, pran-
 diumque in eadem prætoria, qua Dra-
 kus ingens hoc iter confecerat, sume-
 re dignabatur: Rex vero Hispaniæ per
 Bernardinum Mendoza Oratorem suum
 de Dracko questus illum, quod per re-
 giones Hispano imperio subditas navi-
 gare præsumpserit, accusabat, simul-
 que omne aurum Hispanis ablatum
 restitui petebat: ast Regina Philippo
 respondit: „Drakus coram legitimo ju-
 „dice, quotiescunque petetur, re-
 „spondere paratus est: Hispanicum quo-
 „que aurum, argentumque in sequestro
 „reponam, ut Hispanis satisfieri queat,
 „quamvis illud pleno jure impendere
 „possem contra rebelles, quos Hispa-
 „niæ Rex, & Papa indies adversus me
 „excitant: de cetero plane ignoro, quam
 „ob caussam Principes illi, qui Romani
 „Pontificis auctoritatem non reverentur,
 „non æque, ac Hispani in Indiis merca-
 „turam exercere queant, quippe æ-
 „ris, marisque usus omnibus commu-
 „nis est, nec regiones, & maria distri-
 „buendi jus Pontifici competit, cum
 „ipse horum Dominus non sit.„ Nihilo-

Q q 3 mi-

Sæcul XVI. A. C. 180. minus Regina quamdam hujus thesauri partem restituit.

§. LXI.

Anabaptistarum Regnum per Joannem Guilielmum Ruremundanum redintegratum.

Thuan. l. 71. Arnold. Meshov. Hist. Anabapt. Form. Oltii annual. Anabapt. Jam alibi de conficto Monasteriensium Anabaptistarum regno, necnon de Joannis Leidensis, Georgii Davidis, Melchioris Hofmani, aliorumque regimine, & supplicio mentionem fecimus: postquam vero Joannes Cerdonus Bruxellis laqueo suspensus periit, & Cornelius Apelmanius Ultrajecti eodem supplicio vitam finierat, tamdiu perniciosum hoc regnum Successore caruit, donec Joannes Guilielmus Ruremundanus cujusdam Sacerdotis filius a Deo ad restaurandum Anabaptismum, atque ad puram doctrinam Monasterii innovandam sese admonitum fuisse jactitaret. Hic idem spondebat, quod intra exiguum temporis spatium novæ Jerusalem regnum stabiliretur, & populus a Deo illustratus regiones esset occupaturus illorum, qui perperam de Divinitate sentiunt, sicut olim Israelitæ Cananæis suas ditiones eripuerunt: insuper librum conscripsit, in quo ad Mahometis exemplum polygamiam indulgebatur, ut vero tam ipse, quam ejus

Secta-

Sæcul. XVI.
A C. 1580.

Sectatores plurimas ejusmodi uxores suas alere possent, hinc furta, ac rapinas concedebat, eo usus obtentu, quod omnia bona terræ ad Christum, ejusque discipulos pertineant, ipsum vero Deus misisset, ut æqualibus partibus bona distribueret. hancque in rem Dei, & Gedeonis gladium accepisset: itaque juxta perniciosam hanc doctrinam plures Nobilium ædes fuerunt direptæ, pluresque possessores ab hisce fanaticis trucidati: denique postquam hi per quinque annos omnia susdeque verterant, quin eorum violentiæ remedium opponi posset, tandem Guilielmus hujus regni Architectus capiebatur, atque in Dinslakeni arce Juliæ ditionis carceri mancipabatur, hic tamen fanaticus adeo dextre suos satellites corruperit, ut in ipsis etiam carceris angustiis aliquamdiu cum suis mulierculis voluptatibus, luxui, rerumque abundantia indulgere posset, donec Guilielmus Cliviæ Dux novum hoc flagitium edoctus hunc captum arctiori custodiae tradi, atque in eum iudicii acta instrui juberet, ubi lento igne tostus periiit, quin ullum poenitentia signum ederet, ac præterea duæ ex præcipuis ejus mulieribus idem supplicium eadem prorsus pertinacia subibant, ceteræ vero

Qq 4 trans-

Sæculi XVI transactæ vitæ crimina detestari videbantur.

A.C. 1580

§. LXII.

Concordiæ liber a Lutheranis consarcinatus, typisque editus.

Hospin. concord. discors impr. ann. 1607.

Sub idem tempus Lutherani in Germania post celebres suos conventus Torgavii, & Bergæ habitos, ut supra meminimus, librum suum, cui titulus *formula concordiæ*, typis vulgarunt: nihilominus haud contat, quod hi hæretici postea in unum congregati ullam novam fidei decisionem procuderent: illæ vero lacinix, ex quibus præfatus liber est consarcinatus, fuere subministratæ a diversis Authoribus, & diversis annis subscriptæ, quippe Lutherani in hoc libro cuncta, quæ inter eos majoris authoritatis erant, in unum volumen contrahere meditabantur: verum omnibus media, quibus in Germania subscriptionem extorserunt, sunt comperta, ac cuivis constat, quantas violentias, ut hæc concordia recipere-
tur, adhibere oportuerit, & quam acriter quidam Principes, urbesque huic subscriptioni sese opposuerint. Porro hic liber nominabatur *Bergensis concordia* ducto, ut fertur, nomine a quodam monasterio, quod prope Magdeburgum situm est: præterea idem liber aucto-

auctoritate Augusti Saxoniae Electoris, Sæcul. XVI.
 ac quorundam aliorum Principum Lu- A.C. 1580.
 theranorum prodiit, Schmidelinus ve-
 ro Germanus Præco inter suos celeberrimus illum ab octo hominum millibus tam sponte, quam coacte approbati voluit, alii tamen spurium hunc partum rejecerunt, unde ex hac concordia schisma inter Germaniæ Protestantibus exortum est. Scripsit Hospinianus prolixam de hoc libro historiam, in qua ea, quæ desuper contigerunt, potissima ex parte integra fide enarrare videtur: Osiander autem, qui cum ceteris hujus libri faber eundem in sua historia Ecclesiastica ad compendium reduxit, ingenue fatetur, quod hanc concordiam multi tam Calvinistæ, quam Lutherani ex mollioribus, & rigidioribus & lingua, ac calamo impugnaverint, unde etiam secta Concordistarum prodiit. Denique Bellarminus suam de hoc libro sententiam pronuntians demonstrat tam tituli vanitatem, quam crassos errores, quibus hoc opus contra ipsum Apostolorum Symbolum scatet.

§. LXIII.

*Navarræ Rex redintegrato bello
 Cadurcum occupans.*

Ceterum concordiae pacta, quæ Regina Mater cum Navarræ Rege in
Q q 5
Aqui-

Sæcul. XVI.
A.C. 1580

Aquitaniam profecta sanxerat, haud diu subsistebat, quippe vix inde discesserat, cum illico Rex suæ factionis socios Mazeræ in Fuxiensi comitatu congregaret, deliberaturus, an arma retumere expediret: protinus vero Condæus Princeps bellum esse redintegrandum opinabatur, eoquod se Picardiæ Præfectura, quam ipsi Rex cesserat, exutum ægerrime ferret, quapropter Pictavio discedens dissimulata sui generis nobilitate in Picardiam contendit, astuque Farum, oppidum valde munitum, atque in hac Provincia longe opportunissimum ingressus ibidem sese tueri decreverat, etiamsi Rex ad illum inde expellendum extrema moliretur. Hæc gesta fuere die vigesima nona Novembris anno priori, ineunte autem hoc anno Navarræ Rex nulla prorsus habita ratione, quod Regina Mater eidem quoad omnes querelas, ac postulata Neraci plene satisfecisset, nihilominus Cadurcensem urbem obsidione cinxit, illamque expugnavit, quamvis Vezinus illius Gubernator ingenti animi fortitudine ejus violentiæ resistisset: porro Navarrus captam Urbem militum suorum deprædantium libidini exposuit, qua etiam crudelitate plures alias Aquitanix, Pictavii, Santonæ, Occidaniæ, & Delphinatus urbes devasta-

vastabat: attamen Rex, qui omnia pa-
 cis beneficio tranquilla credebat, dum
 hanc Calvinistarum perfidiam, armo-
 rumque successum compererat, nulla
 mora sese rebellibus opponere statuit,
 hancque in rem exercitum suum in tria
 partitus est agmina, quorum primo in
 Aquitania Armandus Biron Franciæ
 Marescallus præesset, ac Regis Navar-
 ræ impetus frangeret; alterum vero
 in Delphinatu Ledigiarium Marescal-
 lum, qui Navarræ Regis nomine in hac
 Provincia imperabat, invaderet, ac
 Maduani Comitis imperio subesse jube-
 batur: tertium denique ducebat Ma-
 tignonus Marescallus, qui in Picardia
 Condæo Principi obsisteret. Postea die
 tertia Junii Franciæ Rex pacificationis
 edicta in favorem illorum, qui rebel-
 lium partes non sequerentur, promul-
 gata confirmabat: insuper prudentia,
 ac vigilantia illorum, quos Rex suis
 copiis præfecerat, feliciter præpedie-
 bat, ut Calvinistæ adeo non prævalere
 possent, ut potius in officio contine-
 rentur.

§. LXIV.

*Reliquiæ sancti Georgii Nazianzeni
 a Pontifice translatae.*

Ab eo tempore, quo sancti Georgii Na-
 zianzeni circa annum trecenteli-
 mum

Sæcul XVI.
 A.C. 1580.

Sæcul XVI. A.C. 1580.
 Mum nonagesimum primum defuncti
 corpus Constantinopoli Romam defe-
 rebatur, hujus translationis festiuitas
 ferme nemini amplius erat cognita, hoc
 tamen anno Christi millesimo quingen-
 tesimo octogesimo Gregorius XIII. Papa
 illius memoriam in fidelium cordibus
 reuocare statuit, ac propterea magnifi-
 cum Sacellum in Vaticano sub hujus
 sancti invocatione extrui curavit: præ-
 terea solemnem supplicationem ad Ec-
 clesiam Monialium Græcarum in Re-
 gione Campi Martis de creuit, ac sacra
 hujus sancti ossa, ubi prius erant de-
 posita, excepit, & cum ingenti pompa
 ad Basilicam Divi Petri transtulit, co-
 mitantibus sacras hæc reliquias tota
 aula Romana, cunctis Sodalitatibus,
 omnibusque Romanæ Urbis Ordinibus.
 Hæc solemnitas ad plures protraheba-
 tur dies, præcipua tamen festiuitas age-
 batur undecima Junii die, quæ etiam
 ab illo tempore sancti Gregorii Nazian-
 zeni in Occidente Episcopi translationi,
 ejusque festiuitati præfixa est.

§. LXV.

*Sancta Theresia in Reformationis
 suæ negotio plurimum
 perpeffa.*

Vita ab ipsa **H**ucusque Reformatio, qua sancta
Sancta The- Theresia Ordinem suum pristino
 splene

splendori restituit, indies nova gloriæ incrementa sumpserat, paucos enim vitæ suæ annos numerabat, in quibus non nova monasteria exurgere cerneret; horum vero primum erat illud Abulense Divo Josepho nuncupatum, in quo etiam heroicum reformationis suæ opus inchoaverat, impetratis ad id a Pio IV. literis Apostolicis, quas eidem sanctus Petrus de Alcantara procurabat: nihilominus insuperhabito summi Pontificis præsidio plurima adversa tolerare cogebatur suscitata ab illis, qui novæ hujus reformationis progressus inique ferebant, quinimo illi etiam, a quibus validam opem expectare debuisset, acerbius eidem adversabantur, piisque ejus consiliis tam Ecclesiastici, quam profani Magistratus sese opponebant: insuper famosi, quibus ejus vitæ ratio proscindebatur, libelli per universum Hispaniæ Regnum spargebantur, atque ipsi etiam Viri doctissimi, quamvis innocuos illius mores damnare non possent, sæpe tamen ejus innocentiam adversus calumnias tuendi animo defecerant, unde in publicis cathedris, atque ecclesiasticis tribunalibus querelæ, omni ex parte adversum illam delatæ, necnon injuriæ in eam impune effusæ infonabant: aliunde vero illi, qui ea ætate virtutum studio magis celebres erant,

forte

Sæcul. XVI.

A. C. 1580.

*res. descri-
pta Ribera,
Didar. Te-
pez & Ni-
col. Ant in
vita S. Tho-
res.*

Sæcul. XVI. forte ejus meriti, cujus gloria in ipsos
A. C. 1580. non redundabat, invidi nullum non
 movebant lapidem, ut huic sanctæ ho-
 norem aut eriperent, aut saltem obscu-
 rarent: nihilominus illa cunctis hisce
 obstaculis superior intra viginti anno-
 rum spatium septendecim, aut octode-
 cim Monialium Monasteria, ac quindecim
 Virorum asceteria in variis Hispaniæ
 urbibus erexerat, tam amplo facti
 laboris progressu, ut tunc, cum ea ad-
 huc vita superstes esset, reformata il-
 lius Religio in Indias Occidentales us-
 que ad Mexicum diffunderetur, præ-
 cipue tamen sese latius extendebat in
 Italia, inde vero in Franciam, Belgium,
 atque in universas Christiani Orbis re-
 giones propagata est.

§. LXVI.

*Carmelitæ Excalceati a mitigatis
separati.*

Bullar. Interim usque ad hunc annum Domini
Greg. XIII. millesimum quingentesimum octo-
pag. 476. gesimum hæc Carmelitarum monaste-
Ribera vit. ria mitigatæ observantiæ Provinciali-
S. Ther. bus, qui generalem totius Ordinis ad-
l. 3. c. 8. ministrationem habebant, erant subdita:
 novis vero hisce conventibus nonnulli
 speciales præerant Piores, qui restau-
 ratam disciplinam sartam conservare
 procurabant: verum hanc mitigatorum,
 ac

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

ac reformatorum conjunctionem minus
ratam habebat Philippus II. Hispania-
rum Rex, verebatur enim, ne ejus-
modi commixtio quamdam diffensionem
procuraret, ac renovatæ austerioris di-
sciplinæ relaxationem induceret, qua-
propter Rex Gregorium XIII. rogabat,
ut severiorem, novamque disciplinam
a temperato instituto, & maximo Car-
melitarum mitigatorum per varias Eu-
ropæ Provincias diffusorum numero pe-
nitus, ac in perpetuum separaret,
adeo ut istorum Provinciales nullam
omnino auctoritatem in excalcea-
torum Carmelitarum, & ejusdem
Ordinis Virginum Religiosarum asce-
teria amplius exercere valerent: igitur
Gregorius Hispaniæ Regis voto
annuens, die vigesima secunda Junii
anno Domini millesimo quingentesimo
octogesimo, & sui Pontificatus nono
diploma edidit, quod ab his verbis in-
cipit: *Pia consideratione*. In hisce lite-
ris Apostolicis reformatos Carmelitas
ad primitivam suam regulam ab Inno-
centio IV. approbatam revocat, solu-
tionis autem observantiæ Religiosis far-
tam conservabat mitigationem, quam
eis Eugenius IV. edita Constitutione
indulserat: denique Carmelitas refor-
matus penitus a ceterorum regimine
exemit,

Sæcul. XVI. exemit, atque illorum monasteria in
 A. C. 1580. unicam redegit Provinciam.

§. LXVII.

*Varie Constitutiones Gregorii XIII.
Pontificis.*

*Bull. Const.
60. & seq.*

Eodem hoc anno Gregorius XIII. die vigesima tertia Maji aliam edidit Constitutionem, qua militiæ sancti joannis Hierosolymitani privilegia, & statuta confirmabat, quem in finem innovavit Constitutionem Clementis VII. qui cunctos Beneficiis, aut Ordinis pensionibus provisos obstringebat, ut habitum deferrent, ac infra sex Menses Professionem emitterent. Die vigesima quinta Maji idem Papa aliam Constitutionem promulgavit, qua circa justitiæ administrationem tam pro Romana, quam aliis ditionis Ecclesiasticæ Urbibus quædam statuta condidit, atque circa artes, & opificia leges præscribens eorum jurisdictionem restauravit: præterea tertiam Bullam vulgavit die prima Julii, qua Ordinis S. Dominici Religiosis inhibuit, ne Magnatum, Cardinalium, Præfulum, aliorumque patrocinio pro obtinenda quadam Ordinis gratia, vel cujusdam pœnæ venia utantur, quin eis suffragarentur Constitutiones Apostolicæ in contrarium editæ: insuper Papa illos, qui
 hanc

hanc legem transgressuri essent, ad ^{Sæcul. XVI.} quodcunque officium inhabiles decla- ^{A.C. 1580.} rabat. Eadem prima Junii die quarta Constitutio prodiit adversus eos, qui census, Canones, aliaque jura Camere Apostolicæ debita in sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli festo solvere detrectant, hanc vero Bullam Gregorius XIII. quotannis feria quinta hebdomadæ sanctæ promulgari præcepit. Denique postrema Bulla die vigesima quinta Novembris edita Ordinariorum jurisdictionem præscribit, quam in puniendis Vicariis suis domesticis, Colonis, & Ministris Militum Ordinis Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, qui hodiedum Equites Melitenses nuncupantur, exercere valent.

§. LXVIII.

*Grousbroeckii Cardinalis Leodiensis
Episcopi obitus.*

Die vigesima octava Decembris anno ^{Ciacon. vit.} priori sacrum Purpuratorum Col- ^{Fontif. 2.4.} legium Gerardi Grousbroeckii, seu ^{pag. 56.} Grusbeckii Leodiensis Episcopi jactu- ^{Chappevil.} ram planxerat, qui ex illustri familia ^{de Leod.} Baronum de Grousbroeckiiis in Geldriæ ^{Antist. Au-} Ducatu ortus mense Martio, anno Do- ^{bery vie des} ^{Cardin.} mini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo ad romanam purpuram evectus erat. Is educationem generis *Hist. Eccles. Tom. XLIX.* Rr sui

Sæcul. XVI. A.C. 1580. sui nobilitate dignam fortitus Leodium venit, ubi primo Canonicus, atque evolutis aliquot annis unanimi suffragio Decanus elegebatur, quo munere cum tanta prudentiæ, sapientiæ, & probitatis laude functus est, ut mortuo Roberto a Bergis Leodiensi Episcopo die undecima Aprilis Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto subrogatus cum ingenti gregis sui profectu veri Pastoris partes expleret, quippe suos diæcesanos sibi commissos tam privatis, quam publicis admonitionibus juvabat, & ægrotos sæpe visitabat, ac viduarum, & pauperum miseras sublevabat Nosocomiis erigendis, eosque ad veram Catholicæ fidei institutionem reducebat, præcipue vero a Diæcesi sua hæresin avertere, ac Religionem Orthodoxam ibidem conservare cum tanto studio, ac successu satagebat, ut jam tum sanctissimis primorum sæculorum Episcopis comparari meruerit: insuper anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo ferventibus belli Belgici tumultibus, ubi Religio ad interitum properare videbatur, ipse sua prudentia Leodiensi Diæcesi tam sedulo providit, ut fides Catholica ibidem intacta servaretur: præterea seditionem, quam Hasseleti exiguo Diæcesis suæ oppido

oppido quidam Protestantium Ministel-
 lus conflaverat, extinxit, ac brevi hanc
 urbem denuo sibi subjectam ad officium
 revocavit, rebelles vero summa benigni-
 tate in gratiam recepit, imo pro Tra-
 jectensibus, quos Belgii Gubernatrix ob
 seditionis crimen plectere parabat, ipse
 deprecabatur: postea quoque cum re-
 belles denuo Leodium subigere moli-
 rentur, suam urbem tuebatur, hostes-
 que suos superabat, & Calvinistas, ne
 Trudonopoli convenirent, præpediens
 coram Ludovico Nassavio sese excusa-
 bat, exponendo, legibus Cæsareis ejus-
 modi conventicula esse vetita. Deni-
 que Gerardus anno ætatis suæ sexage-
 simo tertio mortalitatem exiit, sepul-
 tusque fuit in sua Ecclesia Cathedrali
 ad sanctum Lambertum.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1580.

§. LXIX.

Francisci Alciati Cardinalis mors.

Hujus obitum excipiebat mors Fran-
 cisci Alciati patria Mediolanensis, Clacon. t. 3. pag. 972.
 qui ex Martino nobili Mediolanensi ortus Fanut Nic. Ength. Pi- nac. imag. il.ustr. p. 2. cap. 47.
 die prima Februarii Anno Salvatoris no-
 stri millesimo quingentesimo vigesimo se-
 cundo primam lucem aspexit, & non
 modo sanguine junctus, sed etiam e-
 ducatus erat ab illo celeberrimo Juris-
 consulto Andrea Alciato, cui Respub-
 lica literaria in acceptis referre tene-
 tur,

Rr 2

tur,

Sæcul. XVI.
A. C. 1580.

tur, quod ceteris prior jurisprudentiam in variis libris usque ad illius ævum editis a barbarie liberaverit, hancque scientiam pristino suo splendori reddiderit. Ceterum Franciscus maximum jurisprudentiæ ornamentum æque ac Andreas etiam Papiæ eandem disciplinam profitebatur, atque inter alios Auditores sanctum Carolum Borromæum Cardinalem habebat, cum autem hic sub Pii IV. Patru sui Pontificatu administrandis Ecclesiæ rebus præficeretur, Alciatum Romam accersivit, atque in Datarie officio ipsius operabatur: postea vero Franciscus ab eodem Papa utriusque, ut vocant, signaturæ Referendarius renuntiabatur, & Civitatis in Provincia Beneventana Episcopus, ac tandem ad annum Domini millesimum quingentesimum sexagesimum quintum Cardinalis nominabatur. Postea supremus sacre Inquisitionis Præfectus præter alios ad interpretanda Concilii Tridentini decreta selectus erat, sub Pio V. autem Majoris Pœnitentiarii officio defungebatur: refert quoque Muretus in sua oratione funebri, quod hic Cardinalis æque, ac Sirletus illius ævi ornamentum, literarum fulcrum, ac vera virtutis, eruditionisque norma exstiterint. Interfuit Alciatus sacris comitiis, in quibus

quibus Pius V, & Gregorius XIII. ad ^{Sæcul. XVI.}
 Divi Petri Cathedram fuerant eveſti: A.C. 1580.
 denique Romæ feria tertia die decima
 ſeptima Februarii hoc anno nonniſi quin-
 quaginta octo annos natus extremum
 clauſit diem, corpusque ejus in Eccle-
 ſia ſanctæ Mariæ Angelorum ſepultum
 jacet: ceterum Alciatus Ordinis Car-
 thufiani, ac Fratrum Minorum Prote-
 ctor erat, & Bibliothecam prorfus exi-
 miam relinquebat.

§. LXX.

Moroni Cardinalis extrema.

Hoc item anno mortis invidia Reipa-
 blicæ Chriſtianæ eripiebat Joan-
 nem Hieronymum Moronum, qui iti-
 dem natione Mediolanenſis, ac Hiero-
 nymi Mediolanenſis Cancellarii civili
 prudentia ſuo ævo longe clariffimi, ac
 Carolo V. Imperatori percarum Filius
 fuit. Is die vigefima ſexta Janua-
 rii anno poſt Chriſtum natum milleſimo
 quingentefimo nono natus Patavii ju-
 riſprudentiæ operam navans adeo in-
 ter ſuos profecit, ut a Clemente VII.
 Romano Pontifice juvenis adhuc Epi-
 ſcopatu Mutinenſi donaretur, a Paulo
 III: autem ad Ferdinandum Romano-
 rum Regem, Petri Pauli Vergerii loco,
 Sedis Apoſtolicæ Internuntius decer-
 neretur, ubi omnibus Germaniæ con-

*Ciac. p. 680.
 Ughel in
 Italia ſacra.
 Andr. Viſto-
 rel. in add.
 ad Ciacon.*

Rr 3 ven-

Sæcul. XVI. ventibus, præsertim vero Ratisbonensi
A.C. 1580. tum Turcis resistendi, tum religionis
 causa coacto interfuit: in Italiam vero
 reversus anno Incarnationis Dominicæ
 millesimo quingentesimo quadagesimo
 secundo ab eodem Paulo III. Cardinalis
 unacum Petro Paulo Parisio, & Regi-
 naldo Polo Cardinalibus, ut Concilium
 Tridenti inchoarent, tanquam Aposto-
 licæ Sedis Legatus mittebatur, atque in
 urbe permansit usque ad annum mille-
 simum quingentesimum quadagesimum
 quartum, quo Synodo Bononiam trans-
 lata, ejusdem urbis legationem jubente
 Pontifice accepit, quam etiam usque ad
 annum a partu Virginis millesimum
 quingentesimum quadagesimum octa-
 vum retinuit, & sub idem tempus
 Mutinensem Ecclesiam in favorem fra-
 tris Ægidii Fuscarii nobilis Bononien-
 sis dimisit, & Novariensis Episcopus
 quadriennio post renunciatus est, eo
 etiam proponente Romæ Collegium
 Germanicum pro adolescentibus pieta-
 te, & literis instruendis ædificatum est:
 tandem is anno restauratæ salutis mil-
 lesimo quingentesimo quinquagesimo
 quinto ad Comitia Augustana decerne-
 batur, ubi autem de Pontificis morte nun-
 tium accepit, Italiam versus iter arri-
 puit, atque post Marcelli II. obitum a
 Paulo IV. ejus Successore captus in arce
 Sancti

sancti Angeli custodiri jubebatur, cu-
jus tamen fati causa ignoratur, quam-
vis quidam conjiciant, eum haud alte-
rius criminis reum fuisse, nisi quod non-
nulli huic Viro suam æquitatem, animi
integritatem, ceterasque virtutes invi-
derent, cum tamen ob harum eminentiam
potius ab omni vexatione immu-
nis esse debuisset, nisi aliunde sat fami-
liare foret præclaræ virtuti, quod sem-
per communis quasi sit scopus, inquem
calumnia, atque æmulatio sua spicula
contorquent.

Ceterum Moronus usque ad Pauli
IV. obitum in custodia tenebatur, ac
cum eo idem quoque fatum subibat
Cardinalis Polus Morono intimæ ami-
citæ vinculo junctus, qui itidem cap-
tus, inclususque hælit, donec Paulus
IV. Moroni causam a quatuor Cardi-
nalibus severa admodum inquisitione
examinari curasset, cum vero nullius
criminis reus comperiretur, e carcere
suo exeundi libertas eidem concessa
est, qua tamen facultate uti renuit, do-
nec ejus innocentia manifestius vindi-
cata esset: Paulus tamen hujus nomi-
nis quartus Moronum absolvere cuncta-
batur, ne ipse suam agendi rationem
damnare videretur, hinc Cardinalis in
carcere relictus est, Pius vero quar-
tus Pauli successor cognita Moroni in-

Rr 4 nocen-

Sæcul. XVI.

A. C. 1580.

Sæcul. XVI. nocentia eum non modo ab omni inju-
A.C. 1580. ria, & suspicione vindicabat, sed etiam
 ex Presbytero factum Episcopum Alba-
 nensem, mox Sabinensem, & tandem Præ-
 nestinum, etiam dignum judicabat, quem
 anno millesimo quingentesimo sexagesi-
 mo tertio in Herculis Gonzagæ Cardi-
 nalis Mantuani locum, primum Lega-
 tum, & Præsidem ad generalem Tri-
 dentinam Synodum iterum a se convo-
 catam mitteret: porro de prospero Le-
 gationis suæ successu apud Imperato-
 rem Oeniponti agentem, necnon de
 illius itinere jam alibi mentionem feci-
 mus.

Postea absoluto Concilio Moronus
 Romam reversus Ostiensis Episcopus,
 necnon sacri Collegii Decanus mortuo
 Pisano Cardinale renuntiabatur, atque
 a Pio IV. ad conciliandum foedus con-
 tra Turcas nominabatur, demum a Gre-
 gorio XIII. pro componendis diffidiis
 Nobiles inter, & plebem Genuam mis-
 sus. Defuncto Pio IV. Moronus, cum
 jam antea in alio conclavi viginti octo
 suffragia tulisset, nunc quoque sanctum
 Carolum Borromæum sibi suffragantem
 habuit, non tamen in Pontificem ele-
 ctus fuit, sed in Germaniam reversus fe-
 ria quinta die prima Decembris Anno
 reparatæ salutis millesimo quingentesi-
 mo octogesimo, ætatis vero suæ septua-
 gesi-

gesimo primo Romæ obiit, corpusque
 ejus in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Mi-
 nervam prope majoris Aræ gradus ter-
 ræ mandatum est. Hic idem Cardina-
 lis Mutinæ tres celebrabat Synodos, nec
 unquam pii Præfulis partibus defuit,
 exstruxitque in eadem urbe Fratrum
 Capuccinorum monasterium; insuper
 pro mulieribus, ac puellis a vitiorum
 cœno conversis quoddam receptaculum
 construi curavit, plurimumque ad æ-
 dificandum Jesuitarum Collegium con-
 tulit, necnon sacram Lauretanam Do-
 mum Beatissimæ Virginis amplis bene-
 ficiis cumulavit. Ceterum dexteritate,
 animi promptitudine in consiliis, & im-
 mota in adversis fortitudine erat insignis,
 præcipue vero primævo naturæ benefi-
 cio lenis, honestatisque amans, qui
 merita omnium, cujuscunque condi-
 tionis essent, passim magni habere so-
 litus integritatis, æquitatisque studiosis-
 simus audiebat. Porro posteritati reliquit
 Constitutiones, quas idem, cum adhuc
 Novarrensis Episcopus esset, typis edi-
 dit: præterea vulgavit acta Mutinen-
 sium Synodorum, suamque orationem
 ad Concilium Tridentinum habitam,
 pluresque epistolas ad Paulum, & Cor-
 tesium Cardinales, necnon ad Jovium,
 & Fridericum Nauseam datas: insu-
 per ejus cura prodire Divi Hieronymi

Sæcul. XVI.
 A.C. 1580.

Rr 5 opera

Sæcul. XV.
A. C. 1580

opera ab Erasmo emendata : ipsius vero vitæ historiam exacte descriptam nobis reliquit Ludovicus Jacobillus Fuliginatensis in Umbria Episcopus.

§. LXXI.

Cardinalis de Blanchis mortuus.

Ciac. p. 1048.
tom. 3
Andr. Villo-
rel. ad Ciac.
Aubery Es
Ughel. h. c.

Pariter ineunte hoc anno Franciscus Archangelus de Blanchis ex Mediolanensi Ducatu in Papiensi territorio natus vivis ereptus est. Is adolescens Ordinem sancti Dominici ingressus inter suos eruditione, pietate, ac vitæ sanctitate eminuit, simulque Philosophiam, & Theologiam cum eximia nominis sui fama professus, demum præcipua Ordinis sui munia cum tanto omnium applausu obibat, ut Alexandrini Cardinalis in Inquisitoris officio socius eidem etiam a Confessionibus esset; postquam vero hic idem Cardinalis sub Pii V. nomine Pontificatum adeptus erat, Franciscus ab eodem summo Pontifice præter Episcopatum Teanensem Cardinalis titulo sancti Cæsarii in Palatio creabatur: demum Theanensem Ecclesiam, quam per integros novem annos rexerat, anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto abdicabat, a Pio autem quinto, postquam Ordinem Fratrum Humiliatorum ob rationes alibi recensitas extinxerat.

Præ-

Præposituram sancti Abundii Cremonensis obtinuit: denique eidem, cum concinnando librorum prohibitorum catalogo insudaret, Romæ mors calamum excussit feria secunda die decima octava Januarii Cathedræ Divi Petri sacra, postquam sexaginta octo annos, tres menses, & quindecim dies vixerat, sepultusque fuit in Ecclesia sanctæ Sabinae, quam pluribus piis Legatis auxerat.

Sæcul. XVI,
A.C. 1580.

§. LXXII.

Hieronimi Oforii obitus.

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno decesserunt, primo loco recensendus venit Hieronymus Oforius Ulyssipone in Lusitania ex Joanne Oforio de Fonseca, & Francisca de Govea natus. Hic Salmanticæ percurso studiorum curriculum nonnisi decimum nonum ætatis suæ annum egressus Parisiis Philosophiæ operam dabat, inde vero Bononiam contendens linquarum, sacrarumque literarum peritia inclarescebat, tantaque facilitate, atque elegantia perorabat, ut Lusitaniæ Cicero passim nuncuparetur: postea vero sacræ militiæ adscriptus, atque in patriam reversus a Joanne III. tum Lusitanorum Rege sacras Paginas in Universitate Conimbricensi interpretari jubebatur, quo etiam munere cum tam amplo fungebatur progressu, ut eidem

Andr. Scotus & Nic. Ant. Bibl. Script. Hisp. Ofor. in vita Hier. Oforii. Dupin. Bibl. des Aut Eccl. Siecle XVI. p. 4. p. 418.

Sæcul. XVI.
 A C 1580

dem Taveranæ Ecclesiæ administratio committeretur; demum autem cum Sebastianus vivis ereptus, atque Henricus Cardinalis ad Lusitanæ solium effectus esset, ab hoc Eboræ Archidiaconus, ac postea Sylvæ in Algarbia Episcopus nominabatur, qua dignitate affectus cunctis exemplo præluxit, pauperesque tenero affectu fovens, eisdem largas eleemosynas erogavit, aliisque pietatis operibus plurimum sese commendandum reddidit; verum calamitates, quæ post Henrici Cardinalis obitum ex Hispanorum invasione patriam ejus depopulabantur, tam intimo sensu ejus animum commoverant, ut morbo correptus die trigesima Augusti hoc anno millesimo quingentesimo octogesimo, atque ætatis suæ septuagesimo quarto Taviræ in sua Diæcesi animam Deo redderet. Hujus Viri vitam Hieronymus Osorius ejusdem Nepos Eburanus Canonicus descripserat: ipse vero hic Præsul ex eorum numero erat, qui Philippum II. tanquam Lusitanæ Regem esse agnoscendum censebant. Ceterum plura ingenii sui monumenta Romæ in quatuor tomis anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo excusa posteris reliquit, quæ plures tractatus morales, commentarios, & Paraphrases in

in diversos sacri Codicis libros comple-
ctuntur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1580.

§. LXXIII.

Petri Emottæ mors.

Alter erat Petrus Emotta Augustodu-
nensis, qui Parisiis in Collegio Na-
varrico studiis vacans, ac literarii ho-
noris gradus emensus in eodem Colle-
gio anno salutis nostræ millesimo quin-
gentesimo septuagesimo secundo Docto-
ris laurea decorabatur, & postea Lau-
denfis Ecclesiæ Theologus anno post
Christum natum millesimo quingentesi-
mo septuagesimo octavo præfatæ Eccle-
siæ, ac Capituli Decanus creabatur:
cum vero ad annuntiandum Dei Ver-
bum sese satis idoneum cerneret, inge-
nium suum magis excultum reddere fa-
tagebat, quamvis juxta infullam illius
ævi Prædicatorum consuetudinem, sine
selectu, ac rationum soliditate sermo-
nes suos elucubraret, qui tamen post
ejus obitum, qui die prima Augusti hoc
anno contigit, typis evulgabantur. In
ejus concionibus continentur Gallico
idiomate adhortationes Catholicæ in
Evangelia pro diebus festis, ac do-
minicis, necnon instructiones circa Sa-
cramenta, quæ omnia tribus tomis com-
prehenduntur: præcipuum vero illius
opus est tractatus latinus, cui titulus:
Con-

Dupin. l. 6.

p. 423.

Sæcul. XVI. A.C. 1580. Confessio fidei Catholicæ confirmata testimoniis sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, qui primis duobus Ecclesiæ sæculis floruerunt: hoc opus vivente adhuc Auctore anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo editum, atque in quatuor libros divisum exstat, in quorum primo Auctor agit de veneratione, & cultu Angelorum, & Sanctorum, in secundo autem de homine, divinaque providentia erga illum, & de Prædeterminatione, ac justificatione. In tertio differit de Sacramentis in genere, & in specie, ac denique in quarto de ultimo fine hominis.

§. LXXIV.

Cuneri Petri mors.

*Bajana inter
opera Baji
p. 208.
Miræus de
Script. sæ-
culi XVI.
Havensius de
erec. nov.
Episc. Belg.*

Tertius erat Cunerus Petri Duivindiciæ quodam Zelandiæ oppido natus, qui Lovanii percurso literarum studio ibidem Doctoratus honore insignis evadebat, & primus Leowardiæ in Frisia Occidentali Episcopus seligebatur, hujusque Ecclesiæ possessionem die septima Februarii anno post Christi Nativitatem millesimo quingentesimo septuagesimo accipiens die vigesima quinta Aprilis Synodum celebrabat, Leowardiensi autem urbe paulo post a Calvinistis capta ipse in Harlingana arce in-

inclusus tamdiu in carcere tabescere co-
 actus fuit, donec ad Monasteriensem
 urbem contendere juberetur, ut in hu-
 jus Principis locum aliquamdiu Co-E-
 piscopi munus obiret: inde vero postea
 Coloniam pervenit, ubi sacras literas
 publice tradens tandem die decima
 quinta Februarii anno Redemptionis
 nostræ millesimo quingentesimo octoge-
 simo nonnisi quadraginta novem circi-
 ter annos natus extremum diem clau-
 sit. Scripsit varios tractatus, atque illi,
 qui anno millesimo quingentesimo se-
 ptuagesimo nono Coloniensibus literis
 exculi prodire, sunt sequentes I. De
 Sacrificio Missæ. II. De concordia me-
 ritorum Christi Domini cum Sancto-
 rum meritis. III. De quæstionibus Pa-
 storibus, & de cælibatu Sacerdotum.
 IV. De notis, ex quibus veram, & le-
 gitimam Christi Ecclesiam dignoscere li-
 cet. V. De Officio Christiani Princi-
 pis. VI. De gratia, libero arbitrio, Præ-
 destinatione, justificatione, indulgen-
 tiis, & de firmitate Cathedræ Divi Pe-
 tri: existat insuper aliud hujus Aucto-
 ris scriptum in propositiones, quæ in
 Pii V. Bulla contra Bajum continentur,
 præterea quædam opuscula Flandrico
 idiomate edidit contra Anabaptistas:
 Denique ut Synodi suæ statuta tacea-
 mus,

Sæcul XVI.
 A.C. 1580.

Sæcul.XVI. mus, inter alia reliquit tractatum de
 A.C.1580. obedientia Principibus Christianis de-
 bita.

§, LXXV.

Georgii Ederi fata.

*Dn pin. p. 4.
 pag. 416.*

Quarto loco recensendus est Georgius Eder, qui hoc anno defunctus creditur. Is erat in Germania celebris Jurisconsultus Frisingæ natus, ac trium Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II, & Rudolphi II. Consiliarius, de quo tamen nil memoratu dignum ad nos fuit transmissum, nisi quod quædam illius opera variis temporibus Colonizæ, Dilingæ, Viennæ in Austria, & alibi impressa prodierint, inter quæ celebrantur I. *illius partitiones Theologicae, seu Oeconomia Sacræ Scripturæ* in quatuor libros divisa II. *Partitiones Cathedismi Concilii Tridentini.* III. *Hæreticorum malleus.* IV. *Babylonia hæreticorum, seu summa fabularum hæreticarum.* V. *Sermo de fide Catholica.* VI. *Disquisitio Evangelica inter veram, & falsam doctrinam.* VII. *Historia Rectorum, & illustrium Virorum, qui Viennæ in Austria ab anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo usque ad annum Christi millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum in hac Universitate floruerunt.*

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1580.*Laurentii Villavicentii decessus.*

Quintus erat Laurentius de Villavicentio, cujus tamen obitum nonnulli ad annum sequentem rejiciunt. Is Xeræ in Andalusia natus, adolescens Ordinem Eremitarum sancti Augustini ingrediebatur, ubi tantam sibi laudem comparabat, ut Lovanii Theologiæ Doctor creatus, ac regius sacræ Scripturæ Professor nominatus a Philippo II. Hispaniarum Rege ad conscientiæ suæ regimen seligi mereretur: præcipue vero celebrem sese reddebat quodam opusculo, in quatuor libros diviso, quod inscripsit, *de recte formando studio Theologico*, in quo tamen Andreæ Hiperii Lutherani, & Marpurgensis Professoris tractatum, cui titulus: *de Theologo, seu de modo Theologiæ studendi*, ferme integrum descripserat, soló hoc inter utrumque discrimine, quod Villavicentius plura expunxisset loca, in quibus hic Lutheranus juxta sectæ suæ dogmata nimium a vero aberrabat, quibus tamen Villavicentius nonnulla alia loca ad tuendam fidei Catholicæ doctrinam magis apta subrogaverat: eodem quoque artificio usus est in elucubrandis tribus aliis libris *de formandis sacris Concionibus*, ubi rursus ferme totum ex præfato

Valer. Andr. Bibl. Dupin. p. 4. p. 570.

Hist. Eccles. Tom. XLIX. Ss Hy-

Sæcul. XVI. Hyperio defloravit: ceterum genuinus
A.C. 1580. ingenii sui partus sunt ipsius sermones
 duobus voluminibus comprehensi, qui
 anno salutis nostræ millesimo quingen-
 tesimo septuagesimo septimo Parisiis ex-
 cusi prodierunt.

§. LXXVII.

Claudius Gouste mortuus.

Dupin. part. **S**extus erat Claudius Gouste Senonen-
5. p. 412. sis Urbis Præpositus, qui tractatum
 de potestate regia in Ecclesiam scripsit,
 ad quod opus ei occasionem dedit peti-
 tio Aurelianensium Ordinum, qui re-
 gnante Carolo IX. conventum de reli-
 gione haberi postulabant, ubi exinde
 controversia oriebatur, quinam vel Ec-
 clesiastici, vel Laici huic colloquio præ-
 essent, cum Clerici hoc jus ad se
 omnino devolvi contenderent, eoquod
 ipsis solis illorum, quæ ad religionem
 spectant, cognitio competeret: verum
 Claudius adversæ sententiæ suffragatus
 propugnabat, quod in ejusmodi con-
 ventibus præesse, concludere, decide-
 re, atque ibidem sancita effectui man-
 dare, Regis esset: porro hic tractatus
 erudite quidem, atque eleganter con-
 scriptus videtur, nihilominus cuius
 passim obviam occurrit, quod ejusmodi
 scribendi ratio magis Anglicano Scri-
 ptori, quam Catholico Auctori propria
 sit.

fit; cum enim ibidem ostenderet, quantum regiam dignitatem revereri oporteret, rem ab ipsis etiam veteris Testamenti historiis repetens demonstrare nititur, quod Judæorum Reges sese religionis negotiis, & Sacerdotii officiis immiscuerint, unde is propugnare audeat, quod Concilia convocandi auctoritas Regibus conveniat, quinimo comminiscitur, quod eorum nonnulli hisce Conciliis præfuerint, ac leges circa Ecclesiasticam disciplinam condere valeant.

§. LXXVIII.

Nicolai Sanderi extrema.

Denique postremus Scriptor erat Nicolaus Sanders, seu Sanderus An-
 glus in Surregiensi Comitatu Viacom-
 ensis Diæcesis natus, qui Oxoniæ lite-
 ris excultus regius Canonici juris Pro-
 fessor in ejusdem Urbis Universitate ju-
 venis adhuc nominabatur, eoque mu-
 nere per aliquot annos defungebatur
 usque ad Elisabethæ regimen: cum ve-
 ro eo tempore Religionem Catholicam
 ex Anglia penitus eliminari cerneret,
 ultroneo sese exilio mulctabat, ut fidei
 suæ libertatem sartam servaret, hinc
 Romam secedens, ibidemque sacro Pres-
 byteratus Ordine insignitus, Doctora-
 tus lauream adeptus est, ac poste-
 rum

Sæcul. XVI.
 A. C. 1580.

Dupin p.

427.
 Pitseus de il-
 lust. Angl.
 Script.

Sæcul. XVI.
A C. 1580

lum Cardinalem ad Tridentinum Concilium, necnon in Poloniam, aliisque itineribus comitabatur: inde vero reversus Lovanii detinebatur, ut regius Theologiæ Professor esset, atque in eadem urbe suum tractatum in octo libros divisum *de visibili Monarchia Ecclesiæ* elucubravit, typisque edidit: verum Pius V. postquam hoc opus pervolverat, illius Auctorem Romæ detinere, ejusque opera uti constituit: attamen hoc Pontifice paulo post ipsius adventum mortuo Sanderus in Comitibus Augustanis Commendonum convenit, ejusque benevolentia usus est, ibidemque aliquot annis commoratus, atque a Gregorio XIII. Nuntius Apostolicus in Hispaniam decretus, inde in Hiberniam eadem dignitate conspicuus mittebatur. Ibidem post plurimas calamitates, ac miseras extrema paupertate pressus in quadam sylva animam Deo reddidit. Ceterum Pitseus ejusdem Nepos, qui historiam de illustribus Angliæ Scriptoribus concinnabat, hujus Viri obitum ad hunc annum revocat, quamvis alii illius mortem uno, duobus, imo & tribus annis maturius accidisse referant.

Porro Sanderus in suo tractatu *de visibili Ecclesiæ Monarchia* probare aggreditur, quod Ecclesiæ regimen nec democraticum, nec Aristocraticum, sed
mere

Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

mere Monarchicum sit, insuper in septimo libro succinctam Ecclesiæ historiam describit, ac Pontificum successionem recenset, eorumque Primatu stabilito de hæresibus mentionem facit, quas ex Sanctorum Patrum testimoniis refellit: in octavo autem libro rationes confutat Protestantium, qui Pontificem esse Antichristum asserere non erubescunt: præterea pro tuenda summi Pontificis auctoritate aliud elucubravit opusculum, cui titulus: *Clavis David*; hoc autem opus in sex libros divisum integra fide Ultramontana complectitur principia, quibus Pontificis auctoritas Conciliis superior dicitur, ac suprema Christi Vicariorum potestas stabilitur: verum præ ceteris acrius impugnabatur ejusdem historia de Schismate Anglicano in tres libros divisa, quam nonnisi post obitum suum typis vulgatam, dum in Hispania Papæ Nuntium agebat, composuerat: quidam etiam Sanderò objectabant, quod hoc opus non ea, quæ Historicum decet, moderatione conscriptum foret, ac ipse nonnunquam gesta de falsitate suspecta retulisset: insuper hic idem Auctor Anglico idiomate posteris reliquit duos tractatus postea latine redditos, quorum primus de sacris Imaginibus, atque alter de sanctissima Eucharistia agit: scripsit etiam I. tra-

Sæcul. XVI. A.C. 1580 ctatum de Sacrificio Missæ. II. commentarium in caput sextum sancti Joannis. III. tractatum de libero hominis arbitrio. IV. Dissertationem de Justificatione contra Altemburgense colloquium. V. opusculum de Primatu Pontificum Anglice, & latine editum. VI. Apologiam excommunicationis in Elisabetham vibratæ. VII. tres sermones Lovanii habitos de Transubstantiatione, Missis privatis, & de celebratione Divini Officii in lingua vulgari. VIII. tres libros contra Helhusium, & adversus quemdam Jesuitam Apostatam. IX. tractatum de Usura in Anglia.

§. LXXIX.

Emanuelis Tremellii interitus.

*Thu. l. 71.
circa finem.
Simon hist.
critiq. du
nouv. Test.*

Inter Scriptores Protestantæ hoc anno vivis ereptos recensetur Emanuel Tremellius Ferrariæ in Italia ex Judæo parente circa annum Domini millesimum quingentesimum decimum natus. Is in juventute sua linguæ hebraicæ studio intentus eximios fecerat progressus: cum vero Lucæ cum Petro Martyre Vermillio, aliisque, qui clam Protestantium sectam profitebantur, arctissimum foveret commercium, unacum illis relicta Italia in Germaniam venit, ac primo Argentinæ sedem fixit, inde autem in Angliam secessit regnante ad-

huc

huc Eduardo VI. Rege, quo defuncto in Germaniam reverti compulsus Hom-
 bachii morabatur, ibidemque aliquam-
 diu Wolfgangi Bipontini Ducis patro-
 cinio tutus in Collegio subsistebat, do-
 nec Heidelbergam vocaretur hebraicam
 linguam publice traditurus, ubi etiam
 syriacam novi Testamenti versionem la-
 tine reddebat, ac demum novam vete-
 ris Testamenti versionem ex textu he-
 braico adornare aggrediebatur, in la-
 boris socium advocato Francisco Junio
 Bituricensi, qui mortuo Tremellio hoc
 opus, cujus tamen Author non erat,
 correctionibus nimium liberis deprava-
 bat, illiusque editionem multo quidem
 ampliorem, nequaquam tamen melio-
 rem procudebat. Ceterum Tremellius
 Heidelbergam discedens Metin contem-
 dit, ubi ex Italia reversus uxorem du-
 xerat: verum brevi a Bullionio Duce
 Sedanum accersitus in nova Academia
 ab eodem erecta linguam hebraicam
 tradere jubebatur: tandem vero hoc
 anno post Christum natum millesimo
 quingentesimo octogesimo, septuaginta
 annos natus animam exhallavit. Hic
 Scriptor in sua sacri Codicis versione
 non raro a genuino sensu deflectebat, ac
 latinitate ad nauseam crispata, errori-
 busque scatente utebatur: insuper plu-
 ribus in locis manifestabat, quod is,

Sæcul. XVI.
 A C. 1580.

Szent. XVI.
1580
 priusquam Christianam religionem amplexatus fuerat, Judaica superstitione infectus fuerit.

§. LXXX.

Hieronymi Wolffii obitus.

Tuan. l. c.
Abich Alam
de vit. Philos.
1580
 Ex ceteris eruditis illius ævi Viris hoc anno obierat Hieronymus Wolffius ex nobilissima, ac pervetusta Rhætiarum familia Certingæ natus, qui a nativitate sua adeo infirmam corporis habitudinem fortiebatur, ut literarum laboribus omnino impar crederetur, quapropter ejusdem Parens nullum non movebat lapidem, ut Filium suum nonnihil ætate profectum a literarum studio arceret: ast scientiarum ardor in Hieronymo naturæ parcitatem superabat, hinc cum tanta literarum aviditate studiis vacabat, perinde ac si integra valetudine frueretur, cum vero ejus parens pecuniarum subsidia, quibus in Universitatibus literis incumbere posset, denegaret, adeo is sese demittebat, ut etiam in Tubingano Collegio apud nobiliores Scholares famuli obsequium deferre non recusaret, qua opportunitate usus cunctas temporis reliquias a famulatu suis Heris præstito liberis adeo utiliter impendit, ut tam græci, quam latini idiomatis perfectam cognitionem acquiret, ac postea utramque linguam non
 sine

sine magno applausu Comitum de Fugger liberalitate adjutus publice traderet: insuper præcipuos Constantinopolitanæ Historiæ Scriptores Zonaram, Nicetam, & Nicephorum Gregoras latine reddebat: demum vero in Collegio Augustano, ubi Bibliothecarii, & Rectoris munereungebatur, ineunte mense Octobri anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo, ætatis suæ sexagesimo quarto calculi doloribus confectus obiit. Ceterum semper cælebs, atque ab omni rerum cupiditate alienus vixerat, præcipue vero hæc ingenii sui monumenta posteris reliquit I. tractatum de vero, & legitimo usu Astrolabii. II. opusculum de facili græcam, & latinam linguam ad discendi methodo. III. Orationes Demosthenis, & Isocratis, præter alias quasdam versiones.

§. LXXXI.

Primi Parisinæ Curiaæ Præsidis oratio ad Regem.

Cum in Blessensibus comitiis, quod *Argentre*
Pragmatica Sanctio circa electiones *coll. jud. tom. 2. p. 452.*
ad beneficia restauranda esset, sermo incidisset, hancque in rem Universitas, & Parisiensis Senatus Regi libellum supplicem esse porrigendum decrevisset,

Ss 5

fet,

Sæcul. XVI. set (*), hinc primus Præses die vigesima
A.C. 1581. ma nona Januarii suis focis declarabat, quod coram Rege adversus concordata inter Leonem X, & Franciscum I. inita palam reclamasset: hic itaque in suo sermone hanc in rem habito præprimis fufius exaggerabat illud jus, quo Parisiensem Senatū semper gavisum faisse aiebat, ut suas Regi rationes exponere posset, quoties de edictis ad tabulas referendis ageretur, præcipue si Senatus ea minus congrua censeret, porro his dictis ea subjunxit: „pariter Parisinæ Curix jus competit, vi cujus „ejusmodi edicta ad acta non refert, nisi „Regis mandato adigatur, eique significetur, quod hæc sit expressa Regis, „non vero Magistratuum voluntas: alit „incassum leges, & edicta conduntur, „si ea non observantur: Deo autem „grates rependendæ sunt, quod tam „pia Majestati vestræ consilia inspirarit „quoad

(*) In Blessensibus comitiis de restauranda, & non abolenda Sanctione Pragmatica actum fuisse testatur Argentreus a Continuatore citatus, his verbis: *Cum in comitiis Blessensibus trium Regni Ordinum aliquid statutum fuisset contra Pragmaticam Sanctionem, Universitas, & Senatus Parisiensis Regi supplicandum esse dixerunt, ne abrogaretur præcipue quoad collationem beneficiorum.*

„quoad ea, quæ nominationem ad Ar-
 „chiepiscopatus, Episcopatus, regni-
 „que Abbatias concernunt: verum mi-
 „hi speciatim injunctum est, ut demon-
 „strem, quod Parisiensis Curia immoto
 „studio Pragmaticam Sanctionem in
 „usum deduxerit, ac concordatorum
 „vim enervare semper studuerit, eoquod
 „ea nonnisi ex specialissimo Regis man-
 „dato præsentis Tremollio a regia sua
 „Majestate hunc in finem deputato fuis-
 „sent recepta.

§. LXXXII.

*Pragmaticæ Sanctionis restauratio a
 Præside postulata.*

His prolatis ita hic Præsides prosequen- *Argentor*
 batur: „semper Parisiensis Senatus *l. c.*
 „posteris notum fieri desiderabat, quod
 „juxta Senatusconsulta Concordatum
 „abrogandi, & pragmaticam sanctio-
 „nem merito a priscis Franciæ Palla-
 „dium appellatam restaurandi volunta-
 „tem nunquam dimiserit, quamdiu
 „enim hæc vim suam obtinuerat, sem-
 „per Franciæ res prosperitate florebant,
 „ea autem abolita, mox cuncta sus de-
 „que vertebantur: aliunde vero per
 „præfatam pragmaticam nequaquam
 „nominatio ad vacantes regni sui Præ-
 „laturas Regi adimebatur, cum disertis
 „verbis cautum fuisset, ut beneficio va-
 „cante

Sæcul. XVI.
 A.C. 1581.

Sæcul. XVI. „cante mox apud Electores Rex insta-
 A.C. 1581. „ret, ut Viros de Rege, ac regno bene
 „meritos eligerent, quamvis enim Pa-
 „pa magnum favorem nostris Regibus,
 „dum eisdem ad regni Prælaturas no-
 „minandi facultatem indulserat, se con-
 „cessisse persuasum sibi habeat, certum
 „tamen constat, quod nostri Reges hoc
 „jure omni tempore fruerentur, nam
 „id ab universa Ecclesia in Persona Ca-
 „roli Magni Franciæ Regis, & augustif-
 „simi Cæsaris concessum fuit (*), quia
 „hi Desiderium Longobardorum Regem
 „expulerunt, & Pontificem suæ Sedi,
 „omnibusque suis bonis restituerunt:
 „equidem Ludovicus Pius Caroli Magni
 „Successor hoc jus abdicasse dicitur: ve-
 „rum

(*) Inepte prorsus hic Præses ista in sua oratione retulit, si enim Reges Franciæ jus nominandi, quod eis Papa per concordata indulset, omni retro tempore a Caroli Magni ætate possederunt, hic Præses inique illos spoliare intenderat per innovationem pragmatice: præterea inauditum est, quod aliquis Imperator, vel Rex universalem Ecclesiam representare, atque hoc titulo jus quoddam Ecclesiasticum concedere dicatur: ecce! qualiter terminus a Constantiensi, & Basileensi Concilio recens adjuventus a Synodo universali etiam ad profanos Principes extenditur.

„rum hæc cello duntaxat ad tempus
 „valuit, cum hoc jus perpetuo acqui- Sæcul. XVI.
A.C. 1581.
 „situm sit, atque a Franciæ corona re-
 „vocari nequeat, aliunde autem nostri
 „Reges haud aliud medium præter
 „Pragmaticam in promptu habeant, vi
 „cujus sese adversus Pontificum poten-
 „tiam tueri possent, si hi Gallicanæ
 „Ecclesiæ jura labefactare aggrederen-
 „tur. „ Hæc quidem iste Præses ex-
 „posuerat, verum ejusdem rationes nil
 nisi ventum verberabant.

§. LXXXIII.

*De excutiendo Hispaniæ Regis im-
 perio a fœderatis Belgii Ordi-
 nibus actum.*

Interea Philippi II. Regis Hispaniæ res Strad. l. 4.
Thu. l. 74.
 in Belgio minus prospere fluebant, quippe fœderati Ordines die vigesima sexta Julii Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo primo conventu Hagæ Comitum habito sanxerunt, ut id, quod in Antverpiensi colloquio, anno priori celebrato decretum fuisset, promulgaretur; tum enim statuebant, quod Philippo haud ultra obtemperare vellent, insuper declarabant, quod is jure suo, ac Belgii Principatu excidisset, ejusque subditi a jurata fide liberi essent, idque ob Hispanorum crudelitates, & violatam fidem Flandris promissam:

ne

Sæcul. XVI. ne vero Provincie suo carerent Principe, Andegavensem Ducem, qui interea provincialibus comitiis præerat, eligere (*) decernebatur: insuper statuebatur, ut in Hollandia, & Zelandia publica diplomata sub Orangii Principis nomine expedirentur, ac Magistratus, Rectoresque novo Sacramento coram Ordinum Deputatis sese obstringerent: huic ergo decisioni edictum sat congruum concipiebatur latino, Gallico, & Belgico idiomate promulgatum: cum autem hujus edicti promulgatio innotesceret, continuo Regis imagines ubique locorum sublatae sunt, dejecta ejus insignia, erasæ ubique nomina, ac honorificæ inscriptiones, fractique signatorii annuli: ad hæc cautum, nequid Philippi Regis nomine in posterum obsignaretur: præterea mandatum

(*) His nempe adminiculis Calvinistarum sectam propagare oportuit; nihil enim hæresis magis commune, ac familiare est, quam ut ejus Affeclæ sub conscientie libertatis obtentu arma in ipsos suos Principes sumant, seditiones concitent, suosque Reges propria auctoritate regnis exuant, ac demum per hæc vias Religionem Catholicam eliminant, in Orthodoxos impune sæviant, suamque sectam, uti olim Mahomet, ferro, flamma, atque armorum vi diffundant,

datum est Præfectis monetalibus, ne ^{Sæcul. XVI.}
 aurum, argentum, aut æs cum re- ^{A.C. 1581.}
 giis insignibus, aut nominibus ferirent:
 insuper præcipiebatur locorum Gubernatoribus, Magistratibus, ac militiæ Ducibus, ut ejurato Hispani Regis obsequio, novum Sacramentum in verba Ordinum fœderati Belgii, usque dum Princeps Alenconius adveniret, præstarent: permiffum tamen interim Hollandis, Zelandisque, ut in Orangii, ac provinciarum nomina jurarent: præceptum denique est omnibus, ut illi qui forensia, aut urbana munia a Rege impetrassent, diplomatibus allatis, rescissisque, alia ab Ordinibus eorundem munerum diplomata postularent: en! hoc editum erat fundamentalis lapis Reipublicæ Hollandicæ.

Hac rebellione hæretici opportune utebantur; nam vix ejurato Regis sui imperio confestim innumeris sacrilegiis, ac crudelitatibus in plures Ecclesias Antverpiæ, Bruxellis, & alibi defævire cœperant, quippe per eos dies sacræ imagines aut dejectæ, laceratæque, aut ob artis præstantiam, e cultu in templis ad profana domorum ornamenta translata: Sacerdotibus sacrosanctæ Hostiæ immolatio interdicta, ipsique Sacerdotes urbibus ejecti, demum vetus Catholicæ Religionis cultus, Majorum

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

jorum sacra, priscique Ecclesiæ ritus passim abrogati, inde vero alia Belgio facies ipsi non agnoscenda Belgio, dein certe deploranda inducta est, clausis- que Ecclesiis, ac Monasteriis omnes Catholici conscientiæ libertate priva- bantur. (*)

§. LXXXIV.

*Continuata sævitia in Anglia
contra Catholicos.*

Thuan. l. 74. Interea in Catholicos, præcipue in Sa-
Sacchini hist. cerdotes, & Monachos pariter in
Societ. p. 5. Anglia continuato furore sæviebatur,
l. 1. fol. 34. quippe Elisabetha, ne Papa in eam le-
gum severitate ageret, semper verita,
quotquot in Regno suo Catholicos esse
compererat, tot quoque Curia Romæ
emissarios imo, & conjuratos esse
arbitrabatur: quocirca insana hac su-
spicione agitata clam Romam, Rhe-
mos, aliasque in urbes exploratores
emittebat, qui Religionis causa sese
ex Anglia profugisse mentiebantur, &
quandam cum suis popularibus Catho-
licis amicitiam simulabant, qua fraude
eorum consilia, atque arcana dextre
dete-

(*) Perinde ac si ea duntaxat Novatori-
bus concedenda foret, vel duntaxat mentium
Rex Deus sit, quando agitur, de amplecten-
da hæresi.

de tegebant, hacque de re Reginam certiore[m] reddebant, quæ non raro exinde ea inferebat, quæ tamen plurimum a veritate aberrabant, insuper in omnes Catholicos, qui in suo regno eidem designabantur, inquiri, repertosque in vincula conjici jussit, adeo, ut eorum plures carcerum squallore confecti inter hæc calamitates vitam misere finire cogerentur: cumque inter alios eidem referretur, quod Edmundus Campianus, Rudolphus Skerwinus, & Alexander Briantius omnes Jesuitæ clam in ejus regno Catholicæ Religionis præcepta traderent, solo eo capite in eos omni severitate furere constituit, ac propterea Campianum apprehendi, ac Londinensi turri includi præcepit, opera utens cujusdam proditoris nomine Georgii Elioti, qui hunc in cujusdam Catholici Nobilis ædibus diversari manifestabat: ubi mox etiam ejusdem Campiani sodales capti in variis carceribus detinebantur, falso accusati, quod in Reginæ vitam insidias struere moliti sint, atque ejusdem subditos auro corrumpere attentarint, ut eos a fide Reginæ debita averterent, illamque suo sceptro privare possent: porro ad firmandam hanc calumniam etiam Georgium Eliotum, aliosque testes sollicitarunt, qui contra hosce tres Jesuitas de-

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

Et pone-

Sæcul. XVI. ponerent, quod quinquaginta Viros ad
A.C. 1581. sua studia pertraxerint, eo fine, ut arma sub vestibus occultantes in Regiam, Licestriæ Comitum, Cecillum, & Walsinghamum irruerent, illosque eo tempore trucidarent, quo Regina quasdam Regni sui Provincias lustratura esset, perpetrato autem crimine ex illis præcipuus, cujus tamen nomen non exponebant, quantocius exclamet: *Vivat Maria Regina.* His mendaciis calumniatores isti addebant, horum molimina Romæ, ac Rhemis fuisse procula. Falsis hisce delationibus freti Judices turrim accesserunt, seorsim Campianum interrogantes.

Verum hic Jesuita captiosis eorum quæstionibus, minisque nihil territus cuncta falsa hæc crimina sibi impacta constanter pernegabat, affirmans, quod pro Regiæ salute, ejusque conservatione semper ad Deum preces fuderit, easque continuo prosequi paratus sit: cum vero Carolus Howardus tum præfens ex eo sciscitaretur, de quanam Regina id intelligeret, an de Elisabetha, vel de alia Regina, Campianus reposuit, de Elisabetha vestra, & mea Regina: nihilominus insuperhabito hoc innocentiae suæ argumento, postquam omnes præsentis ad amplectendam fidem Catholicam hortatus fuerat, la-
 queo

quo suffocatus, ejusque caput a suo sæcul XVI.
A C 81.
cadavere abscissum, corpus vero in qua-
tuor partes dissectum est, qua etiam
supplicii immanitate ambo ejus Socii
e medio sublati fuere.

Ceterum Campianus plura elucub-
rabat opuscula, inter quæ præcipue e-
rant universale Chronicon, & brevis tra-
ctatus de comprobanda veritate fidei
Orthodoxæ ad Angliæ Univeritates di-
rectus. Interea adeo insolens, frequens-
que adversus Catholicos Sacerdotes ca-
lumniandi libido in Anglia passim gras-
sabatur, ut malevoli illos etiam accu-
sare non horrerent, quod in Eliabetiæ
vitam insidias struere, eidemque Sco-
tiæ Roginam subrogandi studio conspi-
rationem conflare molirentur: insuper
alii eo etiam temeritatis prolapsi sunt,
ut in vulgus spargere non erubescerent,
quod Catholici Presbyteri in Angliam
venerint facultate Apostolica instructi,
vi cujus quemlibet seorsim solvere pos-
sent ab eo juramento, a quo jamjam
generatim Univerſa Natio per Pii V.
Bullam soluta declarabatur: porro ha-
rum accusationum falsitas, horumque
Sacerdotum innocentia plurimis apo-
logiis ubique divulgatis comprobata red-
debatur, ac præcipue Guilielmus Ala-
nus Lancastrænsis, qui sexto post anno
Cardinalium Collegio adscriptus erat,

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

ad vindicandum Catholicorum popularium suorum honorem calamum suum exercebat; hic enim tum Rhemensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus istorum innocentiam manifeste demonstrans, cunctas rationes, propter quas Romæ, ac Rhemis Angli Sacerdotes morati fuerint, exponebat, simulque demonstratum ibat, quod suos Fratres pariter ab Ecclesiæ unione avulsos revocare intendant, nec ullo pacto Regni tranquillitatem perturbare cogitent.

§. LXXXV.

Moscoviæ Ducis Orator ad Gregorium XIII. Papam.

*Vittorel. in
ad Ciac. t. 4.
pag 10.
Raynold.
Heindstein
de bello
Moscov.
Thuan. l. 73*

Interea ob Livoniam, quam Poloniæ regno obnoxiam Joannes Basilowitzius magnus Moscoviæ Dux usurpaverat, ferme per integros duos annos inter hunc Principem, & Stephanum Batatorium Poloniæ Regem bellum exarierat; quamvis enim Joannes iterato prælio cæsus jam plurimas urbes amisisset, atque exinde a Polonis ad incitas redigeretur, nihilominus a Papa, & Cæsare opem efflagitans utrique spondebat se bellum in Turcas moturum, dummodo Poloniæ Rex inita pace suas vires jungere vellet: hanc in rem idem Moscoviæ Dux Legatum ad Gregorium XIII. decernebat, qui perbenigne ex-

ceptus

ceptus scriptotenus Ducis sui nomine
ingens cum Papa, ceterisque Principi-
bus Christianis societatem ineundi de-
siderium exponebat, supplicans, ut
Gregorius ad placandum Poloniæ Re-
gem suam operam impendere vellet,
quatenus hac ratione una omnes jun-
ctis viribus adversus communem Reli-
gionis Christianæ hostem arma sua con-
vertere possent: insuper petebat, ut
Sanctitatis suæ nomine quidam Lega-
tum suum in Moscoviam revertentem
comitaretur. Ceterum quamvis unica
hujus Legationis causa esset timor, quo
Moscoviæ Dux Polonorum potentiam
verebatur, adeo, ut Religio nonnisi ob-
tentum suppeditaret, nihilominus Pon-
tifex suarum partium esse arbitrabatur,
ut ad reconciliandos Principes Christia-
nos omnem suam impenderet operam,
nihilque eorum prætermitteret, quæ
ad Religionem Catholicam in hisce Re-
gionibus firmandam conferre possent.

§. LXXXVI.

*Possevinus Jesuita Papæ Legatus in
Moscoviam, & Sueciam missus.*

Ea ex causa summus Pontifex ex sen-
tentia Farnesii, Madrutii, Comen-
sis, & Commendoni Cardinalium An-
tonium Possevinum Jesuitam nomina-
bat, qui hunc Moscoviæ Legatum co-

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

*Thuan. l. c.
Spond. hoc
ann. n. i.
Vie de Pos-
sev. par le
P. Dorigmus.*

T t 3 mita-

Sæcul XVI
A. C. 1581

mitaretur. Hic idem Jesuita patria Mantuanus anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono Societatem ingressus, sua eruditione semper inclarescebat, atque eximia peregrinorum idiomatum peritia, faciliq; earum usu celebris inter Divini Verbi Præcones eminebat, atque ad Principes Christianos jam sæpius ablegatus in maximi momenti negotiis utiliter suam navabat operam, præcipue vero digne obibat Legationem suam ad Sueciæ Regem Joannem III. Gustavi I. Filium, & Erici XIV. Fratrem, qui quamvis secta Lutheranus esset, cum tamen Catholicam fidem in suo regno restaurare vellet, Laurentii Nicolai Jesuitæ ministerio utebatur, hinc eum anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Stockolmiæ Collegii Rectorem nominans, eodem tempore novam divulgabat Liturgiam a semetipso compositam, eo fine, ut sensim Lutheranae sectæ abominationes aboleret: præterea per Pontum de Gardia a summo Pontifice plura efflagitabat, inter quæ erant ea, quæ sequuntur. I. Laici in bonorum Ecclesiasticorum possessione non turbentur. II. Episcopis, & Sacerdotibus uxores, quas jamjam duxerant, relinquentur, ea tamen lege, ut posterum initiandi ad continentiaæ votum adstrin-

adfringerentur. III. Laicis commu-
 nio sub utraque specie permittatur.
 IV. Officium Divinum in idiomate pa-
 tria in omnibus Ecclesiis persolvatur.
 V. Denique quidam Vir idoneus sub-
 mittatur, qui revocandæ Religioni in-
 sudaret, ac Sueciæ Regnum ad Sedis
 Apostolicæ obsequium reduceret. Igi-
 tur Possevinus anno Salutis nostræ mil-
 lesimo quingentesimo septuagesimo octa-
 vo ad Joannem Regem ablegatur, qui
 hunc Principem ad Lutheri hæresin clam
 ejurandam inducebat, ac demum Ro-
 mam revertebatur, hoc autem anno,
 priusquam in Moscoviam pergeret, rur-
 sus in Sueciam contendit unacum lite-
 ris, quas summus Pontifex, Cæsar,
 Poloniae Rex, Bavariæ Dux, plures-
 que alii Principes Catholici ad Joan-
 nem Regem perscribebant, suam eidem
 abjurationem gratulantes: verum Pos-
 sevinus experiri cogebatur, quod hic
 Princeps ad importunas preces Caroli
 Sudermannia Ducis Fratris sui, nec-
 non Regni Procerum, pluriumque alio-
 rum Protestantium Germaniæ Princi-
 pum sollicitationes rursus Lutheri er-
 roribus nomen dederit: quinimo hic
 idem Rex Possévino exprobrabat, quod
 Pontifex postulatum, quæ ipse ad
 promovendam Suecorum conversionem
 exposuisset, exiguam rationem habue-

T t 4 rit:

Sæcul' XVI
A. C. 1581.

rit: attamen exinde Possevinus facile colligebat, quod hujus Regis animum haud flectere posset: quamvis enim interius Religioni Catholicæ admodum propensus esset, nihilominus suis subditis complacendi studio abreptus Patrem Nicolaum Possevini Socium e regno expulit, atque hæreticos revocavit: quapropter Possevinus relicta Suecia in Moscoviam perexit, ut demandato sibi munere apud Joannem Basilowitzium fungeretur.

§. LXXXVII.

*Pacis fœdus inter Poloniæ Regem,
& Moscoviæ Ducem.*

*Tissan. l. 73.
Spond. n. 2.*

Interea Poloniæ Rex jam tertia expeditione Livoniam, & Russiam infestis armis invadebat, pluresque urbes suo subjiciebat imperio: tum autem Possevinus sua sollicitudine, literis, crebrisque itineribus tantum profecerat, ut ambo Principes ad eundem locum, ubi Possevinus agebat, suos Oratores ablegarent, ac die decima tertia Decembris pacis colloquia inchoarentur, quibus usque ad decimam quintam Januarii diem protractis induciæ ad decennium sancitæ, ac jurejurando firmatæ fuerunt, easque Possevinus summi Pontificis nomine ratas habebat, adjecta conditione, ut Moscoviæ Dux Poloniæ Regi

Regi, quæ in Livonia possidebat, cederet, Rex vero vicissim Moscoviæ Duci omnes arces hucusque occupatas restitueret, excepta Voellia. Verum in hoc fœdere non comprehendebatur Joannes Sueciæ Rex, eo quod suos Oratores non ablegasset, eo fine, ut quasdam Livoniæ, & Russiæ urbes occupandi obtentum nancisceretur, ex qua tamen usurpatione postea novi tumultus oriebantur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1581.

§. LXXXVIII.

Papa Moscovitarum unioni intentus.

Possevinus ut hæc inducias adhuc firmiores redderet, præprimis Moscoviæ Ducem, ac postea Poloniæ Regem convenit, ubi mox ambo hi Principes ad summum Pontificem suos ablegabant Oratores, qui ob pacem tam paterna sollicitudine procuratam grates eidem rependerent: vicissim vero Papa ad utrumque Principem officiosas dabat literas, atque in epistola ad Magnum Moscoviæ Ducem scripta eundem hortabatur, quatenus Romanæ Ecclesiæ fidem in Florentina Synodo explanatam amplecteretur, porro hanc in rem Papa præfati Concilii exemplar a Græcis subscriptum transmittens plurima adjunxit dona pro Anastasia Magni Ducis uxore, quam etiam rogabat,

Vittoreli l. c.
pag. II.
Possev. in
sua relat.

It 5 ut

Sæcul. XVI
A.C. 1581.

ut Maritum ad detestandum Græcorum schisma induceret; eapropter Possivinus quoque sæpe post pactas inducias cum Metropolita egit, Græcorumque errores confutavit in tribus disputationibus publicis, quarum acta postea fuerunt typis edita unacum descriptione de Statu Moscovitarum, eorum moribus, Religione, & mediis, quibus ea gens ad veram Religionem revocari posset.

§. LXXXIX.

Supremi Melitensium Magistri diffidia cum sui Ordinis Equitibus.

Nec minori prudentia, ac Zelo summus Pontifex illud componebat diffidium, quo supremus Melitensis Ordinis Magister cum quibusdam Equitibus, ac nonnullis Commendatoribus collidebatur: porro ex istis princeps erat Muthurinus Scutus vulgo Romegassius dictus, supremi autem Magisterii dignitate tum Joannes Episcopus Casserius genere Avernus fungebatur, qui antea supremus Avernae Nationis Marecallus erat, atque Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Petro Montano, seu de Montibus primo Capuano Priori successerat: verum circa annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum octavum octo Equites Hispani de supremo Magi-

Sæcul. XVI.
A.C 1581.

Magistro querebantur, caussati, sibi, totique Nationi injuriam fuisse illatam, eoquod Castellanium, & Legionensem Prioratum, necnon Loranum prædium per Papam, atque Hispaniæ Regem Wenceslao Archiduci tradi consensisset: ast hi Equites supremo Magistro deprecari, suæque audaciæ veniam petere compellebantur, quamvis hæc ipsa submissio non nisi majoris odii somes extitisset, quippe Gargallus Melitensis Episcopus novum jus sibi arrogans ex jurisdictione ordinaria Nosocomium majoris Urbis lustrare aggrediebatur, reluctans illius Administris, qui præter supremi Magistri, sui que Senatus auctoritatem nulli alteri sese subjectos esse reputabant, quapropter ab Episcopo anathemate perculsi patrocinium Romani Pontificis implorabant, qui etiam hujus rei cognitionem Panormitano Archiepiscopo committebat: verum hic Præsul Melitam perveniens, Equitum animos tantopere exacerbatos repererat, ut hujus negotii discussionem ad sacram Sedem devolveret, ipse vero Episcopus suam agendi rationem vindicaturus Romam contendit.

§. XC.

*Senatus in supremum Magistrum
exurgens.*

Inter-

Sæcul. XVI.
A. C. 1581.

*Vertot. l. c.
Spond. hoc
ann. n. 14.*

Interea illorum, qui supremo Magistro adversabantur, numero indies aucto illum custodiæ dandum decernebatur, simulque tres alii ob cujusdam criminis suspicionem in vincula fuere coniecti, cum tamen hi culpam in plures Equites, atque ipsos Commendatores, præcipue vero in Petraccium Melitensem Inquisitorem rejicerent, ex tribus Nationibus Itala, Arragonensi, & Castellana nonnulli Equites impetu facto Senatam ingrediebantur, nullaque dignitatis suæ habita ratione in supremum Magistrum insurgentes eundem provocabant, ut tandem, quo argumento ejus vitæ infidias fuisse structas comprobare posset, declararet: tum equidem ad acerbiora non erat devenit: verum anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo primo ipse Senatus plurimorum Equitum auctoritate fretus contra Magistrum seditionem conflans adversus eum hæc accusationum capita produxerat. I. Variæ Nationis Equitibus inhiuit, ne in favorem suæ Nationis, suorumque Principum, quorum imperio subditi sunt, suffragia ferrent. II. Accusabatur, quod edicto publico tam ex Vico, quam ex Valettana civitate puellas, ac prostitutæ pudicitiae foeminas ejecerit, easque ex Insula emigrare, vel saltem in

pagos

pagos remotiores secedere iusserit. At ^{Sæcnl. XVI.} tamen frivolæ hæ accusationes ortum ^{A.C. 1581.} trahebant ex ambitione quorundam Commendatorum, qui supremum Magistrum, licet octogenarium, robusta valetudine pollere ægre ferentes, eundem a summa dignitate deturbare nitebantur, ut ipsi eius locum occupare valerent, quapropter studiose divulgabant, quod Magister ingenio hebes rei administrandæ haud ultra idoneus esset.

Insuper nonnulli Equites patria Castellani, Lusitani, Arragonenses, Germani, & Galli Romegasio ductore in eunte Mense Julio adversus eundem Magistrum suas querelas deferebant, eique vitio dabant, quod nimio senio confectus Ordinis negotia negligenter procuraret, magisque mulierum Melitenium moribus intenderet, quam Turcarum, ac Pyratarum ex Barbaria excurrentium insultibus invigilaret, insuper eum arguebant, quod horrea necessario apparatu destituta relinqueret, semperque durante Senatu indormiens non nisi ad vexandos suos Religiosos vigil esse videretur. His accusationibus freti ad illum quosdam ablegabant, qui eundem monerent, ut inspectata virium suarum imbecillitate quemdam Vicarium sibi seligeret: si autem id apnueret, minitabantur, quod Sena-

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

Senatus habito consilio Romegasium qui Tolosæ, & Hybernæ Prior erat, in supremum Ordinis Legatum creaturus esset. Præterea summus Magister quatuor alios, eosque potentissimos hostes numerabat, quorum primus erat Cressinus Ecclesiensis Prior præ ceteris omnibus vehementissimus, II. Riwal-tus Prætor per Montani electionem supremo Magisterio frustratus, III. Duerus Vicarius, IV. Maillus Sacquenvilla Commendator, qui a Romegasio ad dignitates euectus secretorum illius arbiter erat. Hi quatuor conjurationis Duces ex Senatus decreto supremum Magistrum comprehendunt, eumque tanquam reum ad arcem sancti Angeli deducunt, ut ibi captus detineretur: verum hi rebelles, cum vererentur, ne Papa utpote totius Ordinis Superior, in hoc scelus inquireret, atque eorum temeritatem detestaretur, Romam tres ablegabant Oratores.

§. XCI.

Nuntius a Papa Melitam hac in causa decretus.

*Thu. l. c.
Vertot. t. 4.*

Nihilominus supremus Magister, quamvis arcte inclusus, quadam tamen temporis opportunitate usus Romam quatuor Equites sibi addictos ablegabat, qui summo Pontifici exponerent, quod

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

quod spe fretus viveret, se a summo Pontifice utpote supremo Ordinis Capite adversus suorum Fratrum rebellionem esse protegendum, cum absque ulla causa, & sine ulla legitima auctoritate ab illis sua dignitate spoliatus, & custodiæ datus fuisset: postquam igitur utriusque partis Deputati Romam venerant, hi, qui Magistro adversabantur, Pontifici exponebant, quod Magister gravi Senio pressus, cunctisque viribus exhaustus administrandæ Reipublicæ omnino incapax esset: verum Papa horum relationi nequaquam fidem adstruens quantocius Casparum Vicecomitem Rotæ Auditorem tanquam Sedis Apostolicæ Legatum Melitam decernebat, dato negotio, ut Pontificis nomine tam Magistro, quam Romegasio denuntiaret, quatenus ambo nulla mora Romam venirent, ibidem causam suam coram sacra Sede defensuri: interea vero Vicecomes unacum Senatu ex faniori, ac seniori parte conflato Ordini præesset. Legatus hic Melitam delatus omnium Equitum comitia indixit, in quibus Papæ mandata exponebat: interea vero quidam Eques Franciæ Regis nomine pariter Melitam venit, qui supremo Magistro significaret, quod Galliarum Rex indignam agendi rationem, quam a suis Religio-

sis

Sæcul. XVI. A.C. 1581. sis sufferre coactus fuit, iniquo prorsus animo ferret, fidemque faceret, se ad compescendos hosce rebelles omnes vires suas impensurum.

§. XCII.

Supremus Magister Romam delatus, atque a Pontifice perbenigne exceptus.

Thuan. & Spond. l. c.

Supremus Magister æque, ac Romæ galus ejusdem delator Melita discedunt, Magistrum vero plusquam trecenti Equites comitabantur, eumque Romam usque deducebant, ubi die vigesima sexta Octobris adventans, triumphatoris more a Cardinalibus, Principibus, & Oratoribus excipiebatur, atque ex illis plures eidem etiam obviam procedebant: postea autem Magister ad palatium Atestini Cardinalis, qui Gallorum Protector erat, divertens ab eodem Purpurato ad Pontificis alloquium deducebatur, quem etiam idem Papa unacum decem Cardinalibus præstolabatur, eumque insolitis benevolentiae, amorisque signis excipiens illius sortem condolebat, atque eum solabatur: mox vero Magister Pontificis pedes deosculatus, repentis gratis pro vindicanda sua innocentia his verbis coram Papa perorabat: „Habeo im-
mensas omnipotenti Deo gratias, quod
„mih

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

„mihi, antequam vivis excederem, in
 „ea ætate, in qua beatissimorum Apo-
 „stolorum limina adeundi nulla spes e-
 „rat, huc incolumi venisse contigerit,
 „quamvis id, quod tanquam reus
 „comparere cogar, animum meum an-
 „gat: ast nemo reus est, nisi qui sibi
 „male conscius iudicum conspectum re-
 „formidat: ut autem ad te venirem,
 „statim ab illo tempore, ex quo insidiis
 „meorum petitus sum, optavi, & petii,
 „& accepto mandato nulla mora inter-
 „jecta, neque valetudinis infirmæ ha-
 „bita ratione, me in viam dedi, inno-
 „centiæ meæ lauream laturus: porro
 „jam loquor ad te sanctissime Pater, &
 „ad homines, non crimina purgaturus,
 „nam ut miles, ac eques inculpate vixi, &
 „omnibus honoratissimæ toto Christia-
 „no orbe militiæ gradibus, ac muneri-
 „bus cum aliqua virtutis, & integri-
 „tatis laude decursis tandem merui, ut
 „non prelationibus, sed legitimis suf-
 „fragiis in ordinis Principem electus
 „sim: hinc quomodo id, quod puero,
 „adolescenti, & viro jam inclinata æ-
 „tate minime impropertum est, jam
 „mihi octogenario, & propediem vitæ
 „rationem reddituro seni iuste imputari
 „possit, tuæ prudentiæ, & æquitatis
 „erit considerare: sic est, beatissime Pa-
 „ter, vita mea longa pro crimine est,
 „quæ

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

U u

„quæ

Sæcul. XVI.
A.C.1581.

„quæ mihi ipsi fortasse molesta spes
 „eorum, qui me accusant, nimis avi-
 „das remoratur, hinc factione, non
 „criminibus obruor, quippe in hos ca-
 „nos vix eorum suspicio cadit: Magi-
 „strum, non me petunt adversarii, &
 „quidem scelerate petunt, dum festi-
 „nato ordine ad illum pervenire cu-
 „piunt: dum vero id conantur, etiam
 „hoc faciunt, ut nationem Gallicam
 „semper bene concordem factionibus
 „divellant, & per discordias imminen-
 „tibus Turcis viam non solum ad in-
 „fulam invadendam, sed Italiam pro-
 „ximam vastandam aperiant: porro
 „hæc apud supremum æquitatis tribu-
 „nal pro me dixisse fatis est: ad tuam
 „autem prudentiam pertinet, concor-
 „diam in nostro ordine sarcire, & pub-
 „licam securitatem, quæ in meo pe-
 „riculo vertitur, contra perniciosas
 „factiosorum conjurationes asserere,
 „meamque injuriam cum tua ipsius, &
 „Christiani orbis salute conjunctam
 „digna pastorali fastigio securitate vin-
 „dicare, interim hunc ex mea calami-
 „tate fructum capio, quod optatissimo
 „conspectu tuo, quod alloquio, ac gra-
 „tia præter spem frui liceat, ut mihi
 „mors amplius molesta esse non possit
 „quando animam veluti in sinu tuo de-
 „ponere dabitur, ubi cum Simeone
 „sene

„Sene exclamabo: *Nunc dimitte Domine servum tuum in pace.*

Sæcul. XVI.
A C 1581.

§. XCIII.

Romegasi obitus, ac Magistri hostes ad ejus obsequium revertentes.

Abfoluto hoc sermone summus Pontifex ad Magistrum conversus, quod de ejus adventu summam concepisset lætitiã, eidem testabatur, eumque bono animo esse jubebat, ac demum honorifico in loco quatuor Cardinalibus huic colloquio præsentibus proximum sedere voluit: inde vero post varios, & familiares de itinere suo sermones Magister dimissus, & in hospitium eadem pompa ad Estensis Cardinalis ædes reductus est: porro Romegasius, qui paulo ante Romam venerat, necdum Pontificem alloquendi copiam nancisci poterat, cum autem audiri vehementius rogaret, Pontifex eidem significari jussit, quod illum ad alloquium non admittiturus esset, nisi prius debita demissione sua obsequia supremo Magistro detulisset, ac Vicarii Officium dimisisset: verum hic inde animi ægritudine corripiebatur, adeo, ut deliquo oppressus ingravescente febre paucis post diebus quarta Novembris vitam cum morte mutaret, honorifica pompa in Nationis Gallicæ Templo Sanctissimæ Trinitatis

Vertot. 63
Tav. 1. 74.

Sæcul. XVI
A.C. 1581.

tatis sepultus. Funesto hoc eventu ter-
riti ejus focii sese supremo Magistro sub-
jecerunt, ac unacum ceteris Sacquen-
villa Commendator eundem accedebat,
& genuflexus Principis sui dexteram
deosculabatur, cui tamen Montaltus
Cardinalis inquiebat: „rebellis Eques,
„nisi dignissimi Magistri tui clementia
„obstitisset, jam ante plures dies in Na-
„vonnæ foro capite plexus fuisses.”

§. XCIV.

*Supremus Melitenfium Magister Ro-
mæ mortuus.*

Thuan. 87
Spond. l. c.

Postea Melitæ unaomnes in Magistri
obsequium redibant, Pontifex vero
eundem pristinæ suæ dignitati restituens
præceperat, ut nulla mora Melitam re-
verteretur, sui Magisterii munia obitu-
rus: ast Deo aliter disponente præcla-
rus hic Vir die vigesima tertia Decem-
bris, Romæ nonnisi tertio mense mora-
tus, mortalitatem exiit, atque a Mar-
co Mureto celebri Oratore Gallo fune-
bri oratione, atque inscriptione hono-
ratus est: corpus autem ejus insigni fu-
neris apparatu in S. Ludovici Ecclesia
Nationis Gallicanæ deponabatur, postea
Melitam deducendum ad mausolæum
Magistrorum. Equidem Mayolanus An-
tiites, qui rebus ita agitatæ Romæ age-
bat, veluti eventum prorsus singula-
rem

Sæcul. XVI.
A. C. 1581.

rem enarrat, quod accusator, accusatus, iudices, & testes ante hujus causæ sententiam obierint, nullaque hujus iudicii acta amplius exstent; teste enim hoc Scriptore Romegasius Romam delatus animi mœrore contabuit, supremus vero Magister sex septimanis, paucisque diebus eidem vita superstes fuit, testes vero Romam profecti unacum omnibus inchoatæ hujus causæ actis naufragio periere, luculento indictio, quod ipsemet Deus hujus litis decisionem ad suum tribunal evocare voluerit: attamen econtra Paulus Foxius Tolofanus Archiepiscopus, ac Romæ Galliarum Regis Orator testatur, quod summus Pontifex, postquam Vicecomes hæc acta ad eundem detulerat, ea quatuor Cardinalibus, & Patriarchæ Jerosolymitano examinanda tradiderit, atque hi supremum Magistrum prorsus innocentem esse declararint, adeo, ut propterea a summo Pontifice eorum iudicium Mense Septembri confirmatum fuerit, edito diplomate, quo hujus negotii cognitio circa supremum Melitenfis Ordinis Magistrum soli summo Pontifici, exclusis Equitibus, reservaretur.

§. XCV.

Tres Equites a Papa nominati ad Magistrum eligendi.

Uu 3

Post

Sæcul. XVI
A. C. 1581.

Post supremi Magistri obitum Ordinis Equites verebantur, ne summus Pontifex utpote supremus hujus Religionis Superior Successorem nominare vellet, hinc celebrem Legationem anno sequenti ad Gregorium XIII. decernebant, supplices, ne Ordinem electionis jure privare vellet: equidem Papa nullum certum responsum Legatis dabat, eos tamen dimittens pollicitus est, quod brevi sinceri sui affectus specimina deprehensuri essent: nec promissis fides defuit; quippe die duodecima Januarii convocato cœtu Vicecomes Nuntius Apostolicus diploma exhibuit, vi cuius Papa tres nominabat Equites, data plena libertate unum, quemcunque vellet, ex his eligendi: porro hi tres erant sequentes, primo Hugo Lupus Verdala Vasconicæ nationis Eques, supremus Commendator, alter Paniflus supremus Santægidi Vicarius, ac tertius Chabillantius summus Manuasæ Prætor, ex quibus Verdalla summo Pontifici percarus magno omnium consensu in Ordinis Magistrum eligebatur, qui sexto post anno a Sixto V. in Cardinalium Collegium cooptatus cum summa prudentia, ac moderatione Ordini præfuit.

INDEX